


Amorie
ZXAC

Viro plurimum Venerando

C. G. Merkus

M. A.

(Manus Auctoris?)

Autograph of the Author?

William R. Williams

Theol. (essays)

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

DE

PHILIPPO A LIMBORCH

THEOLOGO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS MATTHIAE SCHRANT,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGIAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA THEOLOGIAE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

ABR. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, ABR. FIL.,

ROTERODAMENSIS.

AD DIEM VI JUNII MDCCCXLIII, HORA II—III.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,
APUD FREDERICUM MULLER.
MDCCCXLIII.

TYPIS C. A. SPIN.

ABRAHAMO DES AMORIE VAN DER HOEVEN
VIRO. CELEBERRIMO. EX. ARMINII. STIRPE. CLERICI
LIMBORCHIIQUE. SUCCESSORI. PRAECEPTORI
AESTUMATISSIMO. PATRI. DILECTISSIMO
MATRIS. OPTIMAE. AGATHAE STUART. PIAE
MEMORIAE
JACOBAE DOROTHEAE JUNGBLUTH BURER
MATRIS. LOCO. SIBI. ET. FACTAE. ET. HABITAE
UTRAMQUE. HANC. DE. CLERICO. ET. DE
LIMBORCHIO. DISSERTATIONEM

AUCTOR
D. D.

VIRO DOCTISSIMO

DIONYSIO BURGER, DION. FIL.,

S. P. D.

ABRAHAMUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN, ABR. FIL.

Quamquam non heri aut nudiustertius hoc inter nos constitutum est, mi Dionysi, ut res nostras mutuo epistolarum commercio nobis communicemus, hoc novum tamen nunc accidit, quod epistolam a me accipias typis expressam et in vulgus editam. Nimirum, dissertationes editurus de Clerico Limborchioque cum quaedam haberem lectoribus praemonenda, ea animus ferebat tibi inscribere, ut, quas parentibus dicavi studiorum primitias, eaedem familiaritatis nostrae essent documentum. Amicos enim tam caros quam te cum habeam, vix ullos, quocum vetustior mihi est amicitia, non nisi unum habeo, qui et a nostris studiis alienus est et, quod magis doleo, longe terrarum hinc abest.

Lubentius etiam haec ad te scripsi, quoniam is tu certe eris, quo es erga me animo, cui non molestum fuerit quod de studiorum meorum curriculo hic breviter dicam. Hoc enim moris est Dissertationum Academicarum scriptoribus, qui, obscuri homunciones, unde paratiorem majoremque libellis suis commendationem quaerant, habent

nihil, quam praestantissimorum virorum, quos magistros habuere, celeberrima nomina.

Nescio utrum de scholastica disciplina, quali usus sim, umquam ad te retulerim; si feci laudes ex me audivisti tum omnium praeceptorum, tum prae caeteris EPKEMA, *viri doct., qui literulis Graecis Latinisque discipulos suos imbuere non contentus, boni verique amorem, quo flagrat ipse, in eorum animis accendere studet. Rectoris quoque Gymnasii Amstelodamensis, doct.* VAN CAPPELLE, *in me benevolentiam et merita non praedicare non possum. Circa idem tempus vir consult.* HIER. DE VRIES, HIER. FIL., *et, qui diem jam obiit, doct.* LUTGERT *privata sua institutione multum me adjuverunt. Hinc ad ampliora studia promotum in disciplinam me receperunt viri clar.* SWART, VAN KAMPEN, VAN LENNEP, DEN TEX, VAN HALL, ROORDA. *Quorum primus institutione sua effecit ut examini in mathematicis ex decreto regio me committere possem, et magnopere dolerem me arti Physicae per horas tantum subsecivas incumbere posse. Alter historiam patriae me docuit; stilum quoque meum formare aggressus est; inque illis me numeravit discipulis, quos ad privatam suam institutionem admittebat. Vir fuit summe bonus et doctus; ingenio studiisque Clericum quodammodo retulisse mihi videtur; tam fuit varie eruditus, tam rerum usui parens, tam popularis. Huic, immaturo fato nobis erepto, successit clar.* BEIJERMAN, *fama inter omnes celebris, mihi, ex frequenti patris commemoratione et ex carmine quod ad illum scripsit summus Tollens, jam a puero cognitus; quem etiam affinitate contingo, at quo gradu nescio, hoc scio, si ex benevolentia cognatio existimaretur filium ejus patruelem me esse facile mihi persuasum fore. Quam eximie vir clar. nobil.* VAN LENNEP *ad omnem humanitatem me instituerit, cum disciplina tum exemplo suo, idque tam pu-*

blice quam privatim cum paucis aliis, gratus semper recordabor. Haesitantem me subinde varioque in scriptione de Clerico consilio fluctuantem non parum firmavit, quod ille institutum meum probabat, atque in judicio de Clerico, quod rei summam attinet, me non errasse mihi significabat. A publicis lectionibus jam vacat vir spectatissimus, quamquam non omnino. Rem literariam et publicam promovere non desinit; utque amplius promovere possit, tam viridem illi concedat Deus Opt. Max. senectutem quam est haec ejus maturior aetas. Adjutor successorque illi datus est ex ipsius discipulis clar. BOSSCHA, *qui non tantum docendi munus verum eximiam quoque illam erga nos benevolentiam sibi cum illo communem esse debere ratus, me et saepius adjuvit, et harum maxime scriptionum occasione tot ornavit beneficiis, ut exspectationem meam, quam de ejus comitate susceperam, longe superarit. Omnino talem expertus sum multorum quibus et Amstelodamum et Lugdunum gloriantur virorum in me voluntatem, ut si nullum praeterea ex hoc labore voluptatem percipiam, habeam quod summopere de eo mihi gratuler, si praesertim tanto bono non indignus videar. De patruo meo dilectissimo, aestumatissimo,* J. VAN DER HOEVEN, *hoc sciebam, illum mihi favere; attamen quod tanti facio quanti illius aestimo favorem, numquam ita probatum mihi puto, ut denuo semper probari non summopere gaudeam. Utinam ex ipsius auctoritate, dum Rector erat Magnificus, summos in Literis et Theologia honores petere mihi contigisset. At eo volui rem perducere, non valui. E caeteris promotores mei, clar.* BAKE *et* VAN OORDT, *ne aegre ferant me quantas illis habeam gratias in literis ad amicum significare; habeo vero quam maximas, quas nisi agendo nullo modo referre possum. Eximia haec mea est fortuna, quod clar.* VAN OORDT,

quicum a teneris pater meus conjunctissimus est, honores quos ambio in me sit collaturus; sic qui patris amicus idem filii erit patronus. — Sed eo revertar unde digressus sum, mi Dionysi; sum autem ex media studiorum meorum enarratione. A viris clar. DEN TEX *et* VAN HALL *parvis Themidis mysteriis initiatus sum, ut mos est et lex literatoribus. Ut lubens a talibus viris magna quoque laudandae sacra Deae doctus essem! Sed dudum me ad se invitabat non nolentem una omnium disciplinarum sanctissima, Theologia. Et his quidem quos dixi multum debeo; at viro clar.* ROORDA *tantùm quantum nec mente tu facile concipere possis nec verbis ego effari. Ille patris mei semper fuit familiarissimus, estque etiamnunc, et dum Amstelodami degebat frequentem inter se ambo consuetudinem coluerunt. Propter patris igitur caritatem, filium quoque amicitia sua ornavit. Quamvis enim erga omnes juvenes benevolus esset vir ille eximius, non tamen ita facile in interiorem suam familiaritatem illos admittebat; quod beneficium nonnullis sua meruit virtus, mihi, ut dixi, patris et nomen et mutua praesertim utriusque caritas jam statim ab initio studiorum conciliavit. Liceat mihi coram te de hujus erga me affectu nonnihil gloriari; pulchrius enim non novi quidquam aut praestantius quam viros bonos atque sapientes, qualem illum cognovi, sibi propensos habere. Ego, quod absque vanitate profiteor, id efficere sum conatus ut illum beneficiorum suorum non poeniteret. Itaque literis orientalibus, quas tradebat, pro viribus operam dedi. Philosophiae quoque elementa summo studio ab illo accepi. Has quidem artes profitebatur vir doctissimus; longe vero plura in quovis ferme doctrinae genere ab illo et potui discere et didici. In quibus hoc praecipuum fuit, utpote ad universum studiorum meorum institutum pertinens, quod ab omnibus proficere me do-*

cuit et nulli me mancipare, neque aliena auctoritate facile contentum esse nec praejudicatis meis opinionibus fidem habere, omnesque homines falli posse censere, inprimis vero memet ipsum. Quod probe meminisse quanti sit in omni studiorum genere tu optime scis, ego in Theologia praesertim sum expertus. Habent sane Amstelodami, si usquam, Theologiae studiosi τοῦ πάντα δοκιμάζειν occasionem. Huc Reformati confluunt, huc Teleiobaptistae, huc Remonstrantes et Lutherani. Quamquam postremi propria curare amant; habui tamen ex illis paucos amicos, unum, quem nosti, habeo amicissimum. Cum Teleiobaptistis, quorum schola ex nostra quodammodo originem traxit, etiamnunc jungunt nos studia. Horum professores, clar. MÜLLER *et* KOOPMANS, *audivi, illum exercitia oratoria et orationes sacras moderantem, hunc exegesin N. F. tradentem et doctis perorationibus dijudicantem de controversiis, quas inter nos, ipso praeside, de variis ex omni Theologia locis habebamus; cujus viri doctrina meas laudes longe superat; illud praecipue in illo saepe miratus sum, quam feliciter humanitatis studium ad sanctiores literas referat, adeo ut exemplo ipse suo optime comprobet, de quo aliquando pulcherrime dixit: hanc Theologicam disciplinam prorsus esse literariam. Ad Illustre quod Amstelodami est Athenaeum statim ab origine se applicavit schola nostra. Ego per multos annos ejus civibus Theologicis adscriptus fui; neque adscriptus tantum. Etenim cum hoc agere viderem generosissimos quosque in Athenaeo Theologiae studiosos ne praeter modum aut antiquis adhaererent aut novis delectarentur, ego, qui nihil fere ad felices in disciplina nostra progressus efficacius esse credo, si praesertim in sequenda ipsa hac ratione modus habeatur, continuo illorum familiaritatem consectatus sum, quam illi ultro mihi offerre parati erant. Tam*

moderatos et pacis cum omnibus studiosos illos reddit viri clar. ROOIJENS *disciplina. Ipse non tantum ad lectiones suas de Historia Ecclesiastica, deque exegesi N. F., perquam lubenter me admisit, verum praeturam quoque, quam nos dicimus, aliquando mihi detulit, non quasi ingenio aut assiduitate inter caeteros eminuissem, sed, credo, ut significaret quam esset sibi gratum futurum si infelix, quod nondum reparatum est, Contra-Remonstrantium et Remonstrantium schisma non ad futuros in utrorumque coetibus Evangelii ministros pertineret. O beata quae vivimus tempora! O miseranda majorum aetas, quae non ab hac certe parte nequiores nos tulit, qua si vixissem amici illi carissimi adversarii mei fuissent acerrimi, meque odio habuissent, ni voluissent in heterodoxiae suspicionem incurrere! — Illorum mentionem cum faciam, non possum reliquos omittere quibuscum in varietate studiorum idem veri bonique amor, qui omnium pariter artium honestarum studiosis communis esse debet, me conjunxit. In quibus prae caeteris fratrem meum censeo, Martinum, cujus nosti indolem et studia, et quam ego illum diligam et ille vicissim me; hoc te nescire nolo, illum mihi, hoc ipso dissertationum scribendarum labore occupatissimo, libris auctorumque locis conquirendis valde acceptam operam plus semel praestitisse; illius quoque sunt conjecturae quas in thesibus Clerico subjunctis prima et altera propono. Inque iisdem ipse quoque es, optime Dionysi, quamquam et ego vestram artem, Philologicam et Philosophicam, accuratius addiscendam mihi censui, et tu lubens frequensque ad nostram illam Theologicam disciplinam diverteris, qua nullum hominem Christianum oportet penitus carere, illos qui liberalius educantur mediocriter saltem eruditos esse decet, uti vicissim Theologi ex omnibus artibus quaedam tamquam sua delibare de-*

bent. Multa equidem ex Medicorum Physicorumque consuetudine profeci, ex Jurisconsultorum quoque nonnihil. Atque omnino nullius hominis boni cordatique amicitiam, si meam non aspernaretur, negligendam putavi.

Satis dixisse mihi videor de omnibus ferme, qui ipsi praesentes disciplina sua et consuetudine aliquid ad institutionem meam contulerunt; nam qui scriptis suis mihi profuerunt si recensere velim, quis esset huic epistolae finis? At de uno nondum dixi, quem primum nominare me oportuit, nisi quod animus haereat ea eloqui quae, cum tacere nequeam, difficillimum est ut volo significare. Vidisti in ipsa hujus voluminis fronte pii in patrem animi declarationem. Quid ultra addi posse putes? Laudesne viri praestantissimi celebrem? At neque discipulus magistrum, nec praesertim parentem filius decenter laudarem. Quantum illi debeam enarrem? Ah! si quid non debeam roges potero fortasse dicere; cuncta vero quae per totam vitam in me contulit beneficia paucis verbis ita complecti ut mihimet satisfaciam, non potero. Ille vitae mihi auctor fuit et eorum omnium quae vitalem vitam faciunt; ille pater meus κατὰ σάρκα, ille pater meus ἐν Χριστῷ. Si quid in me boni est, si quid ingenii, si quid doctrinae, illud qualecunque sit, ὀλιγόν τε φιλόν τε, ita patri meo debere me sentio, ut reliquorum beneficia non parvipendam neque excludam, sed ad illum tamquam ad auctorem principem referam. Feci quod potui; haec juvenilis industriae specimina illi donavi. Novisti quid primitiarum oblatio significet; nempe illi cui offerantur omnem proprie messem totam quantam deberi; scias velim me dedicatione illa hoc ipsum de patre meo professum esse. Cur una matris, τῆς μακαρίτιδος, memoriae litarim, nemo qui illam cognoverit mirabitur; tales rarae in terris animae peregrinantur. Cujus in coelestem patriam demigratione cum pater gra-

vissime esset afflictus et tota familia per biennium fuisset dispersa, Deus Opt. Max., longum miseratus dolorem, alteram vitae sociam patri, alteram liberis matrem procuravit, quae id agere non desinit ut non ex ipsa natum me esse oblivisci me faciat. Hanc igitur cum parentibus tamquam tertiam censui.

Haec ego de me, nimis fuse fortasse, nisi quod non tam de me dicta sunt quam de aliorum in me meritis. Caeterum quae ad te mitto munera exigua sunt; attamen habent quod aliunde non facile nanciscerere; id quod non virtute mea factum est, sed fortuna, quamquam aliquam meam accessisse industriam non diffiteor. Puer ego tredecim annorum patrem in scholae nostrae saecularibus alteris vota nuncupantem audivi ne tertium festum illud celebraretur. Inde saepe mecum cogitavi jamjam instare tempus quo Remonstrantium familia, quippe jam ὑπηρετήσασα τῇ τοῦ θεοῦ βουλῇ, cum Ecclesia Reformata, a qua diu separata exstitit, denuo conjungeretur; unum hoc nobis reliquum esse ut historia nostra conscribenda nostri exigeremus ipsi apud posteros monumentum. Cum vero postremis hisce annis tam horridas multorum audiam voces, tot videam dexteris aptari enses conditos, atque, si qui sint moderatiores, hos magnam partem tantopere pacis cum omnibus esse studiosos ut ne bellicosis quidem illis fortiter obloqui audeant, vereor equidem ne male conjecerim. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν θεοῦ ἐνὶ γούνασι κεῖται. Interim nil vetat nos antiquorum temporum memoriam recolere. Fortasse Historia magistra resipiscent homines. Symbolam ego meam confero qualemcunque, conscriptis Clerici et Limborchii vitis, quas magnam partem ex epistolis aliisque scriptis ineditis ipse cognoscere debui, nunc aliis etiam exhibeo. Clericum audies de Literis deque Philosophia disserentem, quamquam in Theologia illum

dominatum esse non diffiteor; sed Clerici Theologi imaginem tamquam de vivo exprimere nimis arduum mihi visum est. Ne tamen manca esset dissertatio a theologicis non omnino abstinui, sed in tantum de illis exposui quantum ad reliquorum intelligentiam sufficere crediderim. De Theologia dicturus est Limborchius, et praecipue de ejus parte dogmatica, quam prae caeteris excoluit. Si quid praeterea ad saecula decimum septimum et octavum decimum cognoscendum scripta mea facere censeantur, gaudebo equidem; at si modo Clericum Limborchiumque non inepte nostris hominibus commendarim, operae pretium me fecisse putabo. Amo enim duumviros illos, et diligo venerorque. Non credo te tale studium in historico improbaturum esse. Certe si improbes habebis me admodum dissentientem. Amor, siquidem sanus est, nil quidquam ulla in re nocet. »Eine Biographie," quae nuper legi in diario quodam Germanico, »eine Biographie hat einen um so höheren Werth, jemehr ihr Verfasser vermocht hat, das positive Element, das Edle, Tüchtige, Gottentstammende in dem Wesen des Geschilderten zu erfassen und anschaulich darzustellen. Hiermit ist nicht behauptet, dass das Negative, die Schwächen und die Mängel des Erdgebornen verschleiert werden sollen; aber sie können niemals den Kern vorstellen, dessen bittre, unerlässliche Schaale sie sind. Jeder, der eine wahrhafte Lebensgeschichte schreiben will, hat nach dem göttlichen Theil des Wesens, das er schildern möchte, zu forschen; er hat sich in Liebe dem Gegenstande seines Werks zuzuwenden. Sei es selbst, dass die Glorie, womit seine Verehrung das theure Haupt umwebt, die Schatten lichter erscheinen lässt als sie sind; was thut das? da nicht die Schatten, da das Licht das Wesentliche ist. Jene mögen dem Todten in die dunkle Gruft

folgen; dieses strahle heller denn je, von ihnen nicht mehr umflort.“ Caeterum spero te, animum integrum, veri studium in libris meis non desideraturum. Multa, scio, desiderabunt multi. De sermone meo nihil dicam, nisi quod de suo ait Augustinus, illum fere semper mihi displicere. Accedit in hisce opusculis, quod frequens epistolarum ineditarum commemoratio et cum lectoribus communicatio orationem importune non raro abrumpit. Tum, licet quaevis Latine dicantur, pauca sunt quae Tullianam recipiant Latinitatem, in Theologicis praesertim et Philosophicis; atque omnia omnino quae recentiores cogitarunt non nisi difficulter antiquorum vocabulis locutionibusque enuntiantur. Typothetae errores aut fallor aut vix ulli sunt reliqui. In verborum vero orthographia atque interpunctione video me mihi non semper constare. Et hae quidem minutiae sunt. Alia forte longe graviora quae juvenilem auctoris aetatem arguant cernent censorum oculi. Quos rogatos velim ut acri me dignentur censura. Aequos mihi opto judices, non faciles. A nemine assensum flagito, uti nec ipse ullis quibuscunque me addixi partibus. In Theologia praesertim neque illorum castra sequor qui τῶν ἀρχαίων dominium crepant, atque anathemata vibrant in omnes qui ab opinata saeculorum 16ⁱ et 17ⁱ orthodoxia discedere audent, neque deauratum quod ingenio rationique humanae posuit idolon nonnullorum vanitas supplex adoro. Utrisque fortiter passim oblocutus sum et porro obloquar. »Ich denke,“ liceat enim Asmi verba usurpare, »ich denke in einer Sache, die alle Menschen so nahe angeht, kann man nicht zu früh und zu viel widersprechen. Wäre ein Religioses Parlament, so liesse man eine förmliche Protestation gegen die Ministerial-Parthey in die Parlements-Register einrücken, für Welt und Nachwelt; denn man muss sich schämen, ein Zeitgenosse gewe-

sen zu seyn, wo solche Acte passirt sind." *De talibus sententiam dicere non aetas vetat, non doctrinae paucitas. Sed neque satis est sententiam dicere. Omnibus viribus enitendum censeo, ne aut libertate spoliemur* ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσεν, *aut fidei nostrae sanctissimae jacturam faciamus. Sic et bonam causam tuebimur, et quae victrix futura est. Erit, non vana auguror, erit aliquando in terris vera Aristocratia, non divitum hominum, neque nobilium, neque praepotentium, neque eruditorum, neque eorum qui formulis suis et hominum religionem et Dei gratiam circumscribere se posse opinantur, neque eorum qui tam sunt, sapientes dicam an deliri? ut hominem sibimet Deum esse jactent; sed illorum erit, qui, sive libros conscribant, sive doctoris munere fungantur, sive philosophentur, sive artem exerceant aut mercaturam, Christi esse conantur atque alios Christo lucrifacere. Horum numero ut tu et ego censeamur faxit Deus Opt. Max.! Ita valere te jubeo, et res tuas, ut adhuc praeclare gessisti, porro bene gerere. Vale, meque ama tui amantissimum.*

Scripsi Amstelod. pridie Idus Majos CIƆIƆCCCXLIII.

DE

PHILIPPO A LIMBORCH

THEOLOGO

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA.

Möge es derjenigen Theologie nie an Freunden fehlen — und das wird und kann es auch nicht — welche das reine biblische Christenthum ohne ab und zu zu thun, treu und lebendig aufzufassen strebt.

ULLMANN.

CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

DE LIMBORCHII VITA, OPERIBUS, INDOLE.

PARS ALTERA.

PROLOGUS.

Verissima mihi videtur, si qua alia, clarissimi Kistii vox, monentis: inchoatam necdum perfectam esse sacrorum emendationem [1]. Quod, cum de universa et Ecclesia et Theologia Christiana valeat, valet tamen, ni fallor, praecipue et peculiari quadam ratione de Theologia Dogmatica s. Systematica, quae dicitur. Melior est nostrorum hominum interpretatio Sacri Codicis quam fuit Ecclesiae antiquae, tam orientalis quam occidentalis. Multum a sacris inde emendatis in Historia Ecclesiastica et cognoscenda et intelligenda et enarranda profecimus. Ethica nostra et Ascetica non parum ab antiquorum placitis discrepantia docent, suntque vere Evangelicae, praecepta saltem si spectes et indolem; de methodo enim qua Ethica vulgo traditur non injuria queri videntur nonnulli. Dogmatica vero, ut quod sentio dicam, etiamnunc magnam certe partem Patristica magis est et Scholastica, quam Biblica, Evangelica, Apostolica; non forma tantum externoque habitu, verum vel imprimis indole

[1] N. C. Kist, Oratio de inchoata necdum perfecta sacrorum emendatione. Habita die VIII M. Februarii MDCCCXXXVII, cum Academiae Lugduno-Batavae magistratum solenni ritu poneret.

sua et materie. Estque mira profecto haec multorum inconstantia, qui non videant se Patres illos et medii aevi Philosophos, quorum in rebus Ecclesiasticis, in iisque quae ad vitam Christianam pertinent, auctoritatem parvipendant, in Dogmaticis pro falli nesciis aestimare in ipsorumque verba jurare; quod hodieque faciunt qui antiqua Symbola, Conciliorum decreta, et Athanasii, Augustini, Anselmi, aliorum, de gravissimis Theologiae Christianae locis placita, pro orthodoxiae regulis habent jubentque haberi. Nonnulla quidem antiquae Ecclesiae dogmata recentioribus displicuerunt; illa nimirum quorum arctissima est cum ritibus cumque praxi Christiana conjunctio; qualia sunt: de virginis Mariae intercessione, de Sanctorum meritis atque honoribus, de igni purgatorio, de transsubstantiatione, alia; reliqua vero ita receperunt ut vel verba eorumque definitiones immutare multis nefas habeatur. Atqui mirum esset si ipsi illi qui circa Episcoporum Pontificisque Romani auctoritatem et dominium, vitam monachicam coelibemque, Sacram Coenam, caetera, tam graviter recentiorum sententia erraruut, in aliis rem acu ita tetigissent ut cum illis dissentire — vel potius illos non magnopere curare et unum agnoscere velle doctorem, Jesum Christum — haereticum sit atque impium. At vero, inquiunt, urgemus Sacri Codicis auctoritatem, ex illoque solo sapere vos jubemus. Enimvero hac lege ne quid in illo inveniatur quod antiquis illis doctoribus displicuerit. Exprobratum est Straussio, et jure quidem, quod doctrinam Evangelicam inter et Ecclesiasticam aut non aut parum distinxerit. Attamen nihil Straussio ab hac parte commissum est, quod non in multis faciunt qui orthodoxiae patronos se jactant [1].

---

[1] Ipse Straussius: die Christl. Glaubensl., u. s. w., 1ster Band, S. 455.

Enimvero aut omnia Patrum Scholasticorumque auctoritate recipiamus dogmata, aut nulla; desinamus aliquando tam abjecte de religionis nostrae capitum inter se nexu et cohaerentia sentire, ut doctores antiquos in praecipuis doctrinae locis illud verum tantum non *αὐτοψὶ* vidisse censeamus, a quo in placitis de rebus Ecclesiasticis deque praxi Christiana, in multisque adeo, quae strictius dicuntur, dogmatibus, toto interdum coelo aberrasse nobis videantur.

Vetus est hoc, de quo dixi, inter Protestantes malum, ut ferme cum ipso Protestantismo natum esse atque incrementa cepisse dicendum sit; quamquam a Protestantismi ingenio alienum est et prorsus Romano-Catholicum. De hujus rei causa atque ratione cum paucis exponere necesse habeam, lectores veniam oro si quid forte minus cogitate aut audacius dictum juveni excidat; conabor modeste verus esse. Luthero, et caeteris fere qui ante illum aut cum illo sacris emendandis operam dederunt, corrupti Christianorum mores et gravissimi in praxi atque disciplina Ecclesiastica abusus, prima fuerunt et praecipua causa cur et de Ecclesiae reformatione cogitarent et fortiter eandem aggrederentur. Hinc factum quod illorum opera eo potissimum pertinuerit, ut perversa anteactorum saeculorum de praxi Christiana placita, quaeque cum his arctissime conjuncta viderentur dogmata rejicerent, atque ex uno Codice Sacro saniora homines discere juberent; hinc quod sententiam de salute non operibus legis, quae dicuntur, nobismet promerenda, sed libera

„so sehr ist es in die Mode gekommen, dass die Kirchenlehre überall das tiefere Recht für sich haben soll." Alunt hanc superstitionem foventque Philosophi non pauci, qui in formulis istis Ecclesiasticis summam reperisse sapientiam sibi videantur.

Dei gratia in illos conferenda qui fide cum Christo conjuncti sint, tam eximie tuerentur atque emendatae Ecclesiae tamquam vexillum erigerent. Alia vero dogmata quae tantam vim in praxin non habere viderentur aut tam noxiam non habuissent, intacta reliquerunt. Imo, cum non nova suaque inventa sed antiquam veritatem se propugnare sibi essent conscii aliisque vellent persuasum, multa antiquiorum placita lubenter ad verbum receperunt, ut unius Catholicae Ecclesiae, verum emendatae et ad pristinam sanctitatem revocatae, membra se esse declararent. Absit ut horum virorum laudibus aliquid detractum velim. Perfecerunt quantum ipsorum aetas ferebat et plus fere quam ferebat, ut in opere suo peragendo communem hominum virtutem superasse videantur. Fuerunt tamen homines; in nonnullis errarunt. Et hic quidem praecipuus fuit illorum error — etenim error dicendus, cujus ne ipsi quidem sibi conscii fuisse censendi sunt — quod non totos semet atque Ecclesiam ex antiquorum auctoritate emanciparint, sed illos quorum de ritibus deque praxi doctrinam rejecerint in Theologiam Dogmaticam antiquum imperium obtinere passi sint. Quod factum dolemus, non miramur. Primum enim in homine Christiano locum occupat sensus religiosus, praxis alterum, postrema est gnosis. Itaque ubi universus Ecclesiae habitus corruptus est, illa primum animadvertitur perversitas quae sensum religiosum offendit, dein si quod est vitium moribus vitaeque Christianae inprimis noxium; si quid in gnosin peccatum est, id serius deprehenditur. Sic, ut rem exemplo illustrare simul et probare coner, prima sacrorum emendandorum conamina fecit populus, fecerunt Mystici et flagellantium turbae, quorum sensus religiosus non ferebat peccata parvipendi et nullam esse quae ipsis satisfaceret cum Deo reconciliationis viam. Mox

de reformatione Ecclesiae in capite et membris cogitarunt multi, qui morum corruptelam aversabantur. Tum, cum Lutherus intelligeret turpissimam indulgentiarum nundinationem non tantum sensum religiosum laedere sed et vitae Christianae valde esse noxiam, neque ἐθελοθρησκείᾳ quidquam proficere homines dum mentem haberent a Deo alienatam, ille hos abusus et dogmata e quibus enascebantur ex Ecclesia et Theologia removit. Reliquam doctrinam quae cum praxi non tam arcte cohaerebat, ex antiquorum auctoritate emancipare, et integram condere veri nominis Theologiam Evangelicam, hoc igitur Reformatorum posteris relictum est. Hi vero quale sibi demandatum esset munus aut fallor aut ad hunc usque ferme diem parum intellexerunt. Plerique dogmata illa Patrum et Scholasticorum et jam quoque Reformatorum auctoritate sancita rejicere et pro illis Evangelicam ex Sacro Codice haustam doctrinam substituere aut noluerunt, aut non ausi sunt, aut neglexerunt. Quippe amat inertia nostra in aliorum auctoritate acquiescere. Attamen, ne hominum perversitati nimium tribuamus, fatendum est solere providentiam Divinam lente festinare hominesque quasi per ambages ad veritatem perducere, nostrae scilicet se commodantem debilitati quae citatiorem cursum non ferat. Omnino antiquum illud fermentum Romano-Catholicum prorsus expellere non erat unius diei; multorum potius erat saeculorum. Hinc in ipsa emendata Ecclesiae parte novae mox rixae, Christianisque indigna schismata. Hinc nova mox progenies Scholasticorum. Scilicet Dogmatici, cum aliquid in antiquis illis dogmatibus, quae receperant Reformatores et de suo etiam auxerant, mutare nefas putarent, cumque nihil agere nihilque cogitare mens humana plane nequeat, idem fecerunt quod medii aevi

Philosophi. Antiqua placita suo more modoque explicare coeperunt, definitionibus et consectariis augere, spinosis et casuisticis, quas dicunt, quaestiunculis adornare. In talibus occupati operam valde utilem praestare sibi visi sunt. Praestiterunt vero, fateor, non plane inutilem; habet enim suum quisque error usum. Dolendum tamen est homines sane perquam doctos et acutos tanta ingenii vi doctrinaeque copia non ad maiora usos esse. Negligebantur praxis Ethicesque studium, tum propter dogmata quaedam, quae aetas illa ita in deliciis habebat ut in eorum gratiam caetera omnia parvipenderet, tum praesertim quoniam toti in controversiis erant homines. Tam acriter disputabant de iis quae Deus latere nos voluit ut eorum quae nobis revelavit obliviscerentur. Exsulabat caritas; concordiae formulae novae semper discordiae ansam dabant. Redierant tyrannis Ecclesiastica, inquisitio de fide, anathemata. Neque scholarum parietibus pestes illae continebantur sed foras progressae populum quoque invadebant. Atqui Protestantismi, uti ipsius Christianismi, ea est ratio ut in sese vim habeat semper emendatricem sui. Exstiterunt cum alibi tum in patria nostra viri variis dotibus insignes qui Reformatorum vestigia premerent opusque inchoatum strenue persequerentur. Cum his censendi sunt illi qui praxin et gnosin in Ecclesia Reformata liberiori ratione informare, antesignano maxime Arminio, conabantur, et deinceps ex ipsa quae inde orta est in hac Ecclesia lite Remonstrantes dicti, juxta publicam Ecclesiam, qua pulsi sunt, suam constituerunt. Invidiosae sunt, scio, horum virorum laudes; atque etiamsi non essent, me tamen, ex ipsorum familia juvenem, parum deceret illas celebrare. Neque meae laudes alicujus sunt momenti, uti nec aliorum contumeliae; laudat homines humanaque omnia culpatve

Historia, quae est judicium Dei. Denique, si quid laude digni praestiterunt Remonstrantes, illud pro beneficio est habendum, divinitus in ipsos et per ipsos in totum orbem Christianum collato. *Ποῦ οὖν ἡ καύχησις;* — Quod praestat, de illorum rebus, deque universa Theologiae in patria nostra conditione, quales fuerint Limborchii aetate, paucis exponam.

Disputatum est nuper inter viros clarissimos Hofstede de Groot et Royaards de Theologiae Christianae in patria nostra fatis [1]. Non meum est tantas inter tantos viros componere lites; utrique potius in disciplinam me tradam. Omnino tenendum videtur, quod urget V. Cl. de Groot neque negat V. Cl. Royaards [2], magnam habuisse exteros, Germanos, Franco-Gallos, alios, in nostratium Theologiam excolendam vim atque efficaciam [3]. Ab altera

---

[1] Nederl. Archief voor Kerkel. Gesch. verzameld door N. C. Kist en H. J. Royaards. D. II, Leyden, 1842; bladz. 121—190 en 329—382.

[2] Vid. l. laud. bladz. 142 verv. et bladz. 345 verv.

[3] Limborchii etiam aetate Remonstrantium adversarii acerrimi, fortissimique orthodoxiae propugnatores Galli exsules fuerunt. Limborchius in epist. ined. ad Phil. Hier. Andreae, V. D. M. in Neuhausen prope Wormatiam, 18 Febr. 1693: »In Gallia ministri aliquot ad sententiam Remonstrantium propius accedebant, minusque a pace aversi erant; non Cameronis proprie discipuli, attamen ex Cameronis et Amyraldi prodeuntes schola, sed magistri sui vestigiis relictis ulterius progressi sunt: inter quos eminuit Pajonus, minister Aurelianensis doctissimus, quem multi eruditi viri sequuti sunt. Verum Galli non diu ante suam e Gallia expulsionem illos odiosa Arminianorum nomenclatura diffamatos exauctorare conati sunt; et in rigore illo processissent, nisi edictis regiis tota Gallia expulsi essent. In Hollandiam ubi appulerunt, adjuvantibus nostratibus, Synodo habita decretum contra Pajonum et Pajonistas condiderunt, illique omnes subscribere coegerunt. Adeo ut eodem adhuc spiritu persecutionis in ipso exsilio se agitari demonstrent. Quod allatis exemplis illustrare possem. Malo autem ulcera haec tegi, quam in Reformationis opprobrium propalari." Ad eundem paullo post haec scri-

vero parte fatendum est Theologos nostrates ab aetatis suae ingenio non ita fuisse alienos, ut Scholasticam illam methodum dogmataque illa antiqua non lubenter recepe-

---

psit: »Quae de Gallis exsulibus in postrema mea epistola scripsi vero veriora sunt. Jam apud ministros Belgas multi eorum male audire incipiunt, tamquam ingenii turbulentioris homines. In Anglia eadem moliuntur. Ante paucos menses Rev. Episcopus Salisburiensis his verbis id mihi significavit: *Galli exsules in tam profligato rerum suarum statu hic non minus quam apud vos furere videntur: fraenum tamen ipsis injectum est: non tamen sopita sunt jurgia, altas nimis egerunt radices. A quibusdam pro concione inter haeretici indicia assignatum est hoc, quod de vita proba et bene instituenda sint mirum in modum solliciti*, etc. Utinam tandem ad animum revocent, quid sit religio Christiana! Vel cruce magistra discant non ex odiis, aut dissidiis, aut temerariis dogmatum, in Scriptura aut plane non aut saltem non clare traditorum, determinationibus, sed ex charitate dominum Iesum discipulos suos agnosci velle!" — In epistola Londinum ad Clericum data, 21 Junii 1682: »Vestratium, inquit, Ecclesiastarum vestigia premit Juriaeus, nuper Sedanensis, nunc Roterodamensis professor (in ejus quippe gratiam nova schola erecta est) et ibidem verbi divini minister: qui instar alterius Sauli huc advenit ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου, novusque homo, nondum aëre nostro tinctus, nil nisi haereses, imo haeresium omnium colluviem crepat. Verum, licet in concionibus placeat, videt jam nimia sua acerbitate alienatos a se plurium animos, adeo ut cum in initio frequenti gauderet auditorio, nunc raros admodum in praelectionibus suis conspiciat auditores." — Haec pauca dedi cum potuissem quam plurima. Anno 1682 Consules Amstelodamenses per Witsium Consulem Is. Pontanum rogarunt ut ad Synedrium Remonstrantium referret de pecunia pro Gallis exsulibus colligenda. Retulit Pontanus, placuit Synedrio. Ad ante constitutum indicatumque diem concionem habuit Pontanus in II Cor. VIII, 13, 14, 15. Collecti sunt super bis mille florenos. Harlemi in Ecclesia Remonstrantium admodum parva in eundem finem collecti sunt centum quadraginta octo floreni. Consules gratias agere; Ecclesiae Gallicae antistites liberalitatem Remonstrantium depraedicare. »Utinam," inquit Limborchius in epist. ad Eng. ab Engelen, »utinam depositis tandem inimicitiis charitatem suam vicissim erga nos demonstrent, saltem ab insectatione nostri imposterum abstineant!" Anno nondum sesquialtero

rint et sponte ulterius excoluerint [1]. Et recentior quidem haec Theologia Scholastica fastigium suum, nostram patriam quod attinet, habuit in celeb. Gisb. Voetio; in quo viro cum multa laudanda veniunt, tum hoc praesertim quod praxin pietatis, nimis plerisque neglectam, commendarit; uti medio quoque aevo nonnulli Scholasticorum sapientiam cum pio religiosoque Mysticorum sensu conjungere conati erant [2]. Hujus scholae se opposuit Coccejana, quae Scholasticam Theologiam valere jussit et Biblicam condere conata est; nimio tamen Systematis sui amore, Ecclesiae auctoritate [3], aevi ingenio, aliisque causis impedita, id non tam perfecit quam perficiendi aliis viam stravit. Theologiam condidit Typicam quae quasi typus esset Theologiae Evangelicae. Repetendum hic duco, quod supra jam est monitum, solere summum nostrum Episcopum, Christum, sic sensim veritatis lucem Ecclesiae suae

---

elapso, rogatu praesertim ministrorum Ecclesiae Gallicae, concionibus sacris habendis Clerico interdictum est; quod ipsius verbis fusius enarravi in Clerico, p. 39 sq.

[1] Theologos inquam. Quippe populus, magistratus, principes, magnam certe partem, spinosas istas, quae Gomarum inter et Arminium agitatae sunt, quaestiones aut non intellexisse, aut parum curasse, aut, si ad illas attenderent, Remonstrantium si minus partibus, sententiis tamen favisse videntur. Attamen, ut fit, Theologis fere obsequebatur populus, populo cedere saepe cogebatur magistratus. Limborchius in literis anno 1676 ad de la Coste (Petrum Curdillum) Parisios missis: »Veritas, inquit, quam profitemur, tacitos multos habet suffragatores, ingenuos professores pauciores. Hinc Ecclesiae nostrae numero non augentur, veritas nostra plausum multorum licet inveniat."

[2] Conf. Cl. Hofst. de Groot, l. laud. bladz. 175 verv. et Cl. Royaards, l. laud. bladz. 379.

[3] Cl. Hofst. de Groot, l. laud. bladz. 176 verv. »Joh. Coccejus, die zich echter voor 's hands tot het Oude Testament moest bepalen, daar een Nieuw-Testamentische Godgeleerdheid tot groote onregtzinnigheid zoude geleid hebben."

impertiri. Beneficio Dei Remonstrantium illustres doctores exstitisse opinor; at non minus bene factum mihi videtur quod non omnes, jam tunc temporis, in illorum sententiam transierint. Remonstrantes eam ingressi sunt viam quam inter Reformatores Erasmus praesertim tenuerat[1]. Et quoniam illorum sententia, qualis sit, multos hodieque extra eorum familiam et nonnullos etiam ex ipsis latere videtur, quo fit ut illi ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες, hi quam praeclaram a majoribus hereditatem acceperint non intelligentes deprehendantur, juvat hic apponere quae quondam respondit Limborchius cum totidem verbis rogatus esset: *quid sit id quod Remonstrantem proprie constituat?* Rogarat hoc Joannes Layton, juvenis Anglus, qui studiorum causa Hollandiam et Belgium peragrabat. Huic et alia respondet Limborchius et haec pressius disserit (in epist. ined. data Amst. 19 Martii 1685): »*Cum nostrum non sit communione nostra excludere, quos Deus coelo se non excludere declarat, neque recusare fratres, quos Deus non dedignatur agnoscere filios, ita statuimus: cum omnibus Christianis, licet in variis a nobis dissentientibus, fraternam charitatem et unionem observandam, omnesque tamquam unius corporis Christi membra in unam Ecclesiam coalescere de-*

---

[1] Conf. Cl. Hofst. de Groot, l. laud. bladz. 173 verv. Henricus Jenkes, Rhetorices professor, socius in collegio Gonvilli et Caji Cantabrigiae, in literis dat. ad Limb. Lond. Aug. 27°, 1684, ineditis: »Desiderantur, inquit, Vitae et Scripta Remonstrantium, seu praestantium Virorum. Esset sane e re vestra et communi, si quis ex coetu vestro provinciam illam in se susciperet. Illud non ita pridem fecit Sandius in Antitrinitariorum causa, sed male fecit quod Steph. Curcellaeum cogit agmen eorum claudere. Vestrum esset initium ducere a vita D. Erasmi, dein subjungere vitas aliorum, ut Sebastiani Castellionis, J. Arminii, S. Episcopii, Poelenburgii, Curcellaei, caet."

bere, modo tantum in necessariis ad salutem conveniant, quae non ex Conciliorum qualiumcunque decretis, aut doctorum consensu qui aliquando jactatur, sed ex sola Scriptura sacra, unica fidei ac vitae nostrae norma, decidi debent: addimus, ut vitam ac mores non contaminent actibus, quos Scriptura cum salutis aeternae spe consistere non posse aperte declarat: ad illos referimus idololatriam, utpote honori divino, et haereticidium (uti vocant), seu judicio nostro errantium extremum supplicium, utpote charitati Christianae directe adversum. Haec charitatis ac mutuae tolerantiae professio proprie facit Remonstrantem. Verum est, quaestionem famosam de aeterna Dei praedestinatione, et illi annexis, occasionem funesto illi in patria nostra schismati dedisse: nos vero semper scriptis privatis ac publicis charitatem illam ac mutuam tolerantiam inculcavimus et obtulimus. Postquam vero a Synodo Dordracena condemnati ac Ecclesiis per vim ejecti sumus, veritatem quidem, quam ad Dei gloriam tendere, et maximi ad pietatis promotionem momenti esse persuasi sumus, strenue scriptis editis tutati sumus. Verum excusso diligentius charitatis ac tolerantiae fraternae fundamento, eam ut genuinam notam ac tesseram Remonstrantismi, unde dignosci cupimus, semper asseruimus ac propugnavimus; credentes unicam hanc esse viam, Ecclesiam Christi misere in varias sectas scissam ac dilaceratam, in unum recolligendi, si sepositis decisionibus humanis ac loquendi formulis Scriptura non contentis, ad primaevam et Apostolicam revertamur simplicitatem, neque quicquam ut pro fratre quis recipiatur necessarium exigamus, ultra ea quae Apostoli ut quis salutem obtineat requisiverunt. Qui ad ministerium inter nos admittuntur, probo doctrina nostra de dogmatibus religionis Christianae, et

praesertim charitatis ac tolerantiae imbuuntur: nullius autem formulae aut articulorum ab iis exigitur subscriptio, sed amica ac moderata inter nos viget prophetandi libertas; quae tamen dogmata ad pietatis promotionem valde utilia non labefactet, aut pietati aperte noxia stabiliat. Qui in communionem nostram recipiuntur, iis explicantur necessaria ad salutem, serio commendatur diligens Scripturae lectio, fides, vitae sanctitas, et continuus in scientia ac fide progressus, et erga dissentientes charitas. Et hac protestatione publice coram Ecclesia facta, invitamus etiam a nobis dissentientes, modo pios et sincera fide in Christum credentes, nulla specialium dogmatum, quae communiter a nobis recipiuntur ac docentur, particulari confessione exacta. Hac ratione et veritati litamus, et charitatem promovemus, et licet aliorum importunitate adacti separatos habeamus coetus nihil paci Christianae adversum facimus, sed eam cum omnibus colere, modo vicissim nos tolerare cupiant, parati sumus; totumque nostrum studium eo tendit, ut Ecclesia erigatur vere Catholica et Apostolica, quae omnes Christianos, quibus Scriptura salutem addicit, nullo excluso complectatur. Hoc proprie est illud quod Remonstrantem facit. Interim non negabo dogmata quaedam magni ad pietatis promotionem momenti communiter a nobis recipi et doceri, quibus ab ea impugnantibus discriminamur: quae aliunde melius hauriri nequeunt, quam ex confessione seu declaratione sententiae Remonstrantium, jampridem edita, et postea secundo operum Episcopii Volumini inserta. Verum, uti dixi, peculiari nostrae sententiae neminem alligamus."
Haec Limborchius, quae eo fidentius tamquam communem Remonstrantium illius aevi sententiam proposui, quoniam magna inter fratres suos usus est aucto-

ritate, ita ut illum in omnibus ferme omnium nomine et agere et dicere voluerint. Horum igitur, qui sic sentiebant, virorum erat inchoatum Reformatorum opus promovere, horum, nullo systemate impeditorum sed ex uno Codice Sacro sapientium, Theologiam tum omnem tum Dogmaticam emendare, illamque pro Scholastica facere Evangelicam. Ejusmodi Theologiae fundamenta jecerunt Arminius, Episcopius, Curcellaeus et, de quo jam omnis nostra erit disputatio, Philippus a Limborch.

PARS PRIOR.

DE LIMBORCHII VITA, OPERIBUS, INDOLE.

§ 1. *Argumentum*, *Fontes*.

Methodum arbitrariam esse dicere solebat Limborchius; qua sententia haud scio an nulla alia aevo nostro magis displiceat. Displicet etiam mihi. Verum enimvero hoc voluisse Limborchium crediderim, methodum argumento non argumentum methodo se commodare debere, ita ut rectius multo senserit quam dixerit. Nullus dubito quin si ex ipso quaerere possem, num qualicunque pro arbitrio meo ratione vitam ipsius enarrare mihi liceret, tale ferrem responsum: »minime vero! Tu refer quae relatu opus sunt, pauca illa et valde simplicia; haec fere: Limborchium talem fuisse revera qualem se prodat in scriptis suis, quae in vulgus nota sint; nihil eum tulisse aut gessisse quod communem hominum sortem superet; pauca quaedam volumina satis spissa illum conscripsisse, quorum editione non suam laudem sed Dei Christique gloriam atque Ecclesiae salutem spectarit. Haec igitur de me rebusque meis refer, simplici ac perspicua, qua ipse uti solebam, oratione. Insuper de amicis meis nonnulla addere poteris atque eorum literas cum lectoribus tuis communicare, unde ad aevi mei cognitionem aliquid

forte proficiant." Aut fallor aut sic juberet vir optimus. Itaque in ejus vita enarranda longe aliam quam in Clerici rebus exponendis sequar viam. Clericus inter aequales fere singularis exstat, neque illis nec recentioris aevi hominibus satis intellectus, quamvis multi sint qui de rebus gravissimis cum ipso consentiant. Igitur in priori mea dissertatione Clericum solum spectavi, ad unum Clericum omnia retuli, uti et ipse e caeterorum grege sese excipere solebat; inque ejus rebus enarrandis saepe ad minutias animadvertere debui, saepe quoque judicium meum interponere, ut ejus ingenium lectoribus explicarem. Limborchium, si cum amicis cumque suis e Remonstrantium familia fratribus componitur, unum de multis fuisse apparet, licet eruditione ac sincera pietate plerosque superet, locum cedat nemini, interque pares sit primus. Hunc ergo amicorum corona stipatum sistam, cui ipse lubenter sese immiscebat; cumque de eo facilia omnia expeditaque sint, nonnisi rerum capita perstringam, nullam ferme meam additurus annotationem.

In priori hac dissertationis parte agetur de Philippi a Limborch vita, operibus, indole; in altera speciatim atque uberius, de ejusdem Theologia Christiana exponetur; siquidem hoc et semper primarium illius opus habitum fuit, et, cum per aliquod tempus neglectum jacuerat, nostris denuo diebus a Straussio praesertim in lucem protractum est jamque multorum, opinor, manibus versatur.

Fontes quibus usus sum primarii tres sunt: ORATIO FUNEBRIS *in obitum Reuer. et Clarissimi Viri Philippi a Limborch, S. Theologiae apud Remonstrantes Professoris, defuncti die* XXX *Aprilis, anno* MDCCXII, *habita a Joanne Clerico die* VI *Maji, quo sepultus est.* Amstelod. 1712, in 4to, pagg. 36. Belgice ibid. Vid. Bibliothèque Choisie T. XXIV. p. 350—368. Eadem illa

oratio praefixa est ed. 5ae Theologiae Christianae Limborchii, Amstelod. 1730, in fol.[1]; CATALOGUS OPERUM LIMBORCHII, in Adr. a Cattenburgh Bibliotheca Scriptorum Remonstrantium, Amstelod. 1728, p. 102 - 105; MANUSCRIPTA, quae servantur in Bibliothecis Remonstrantium Amstelodamensi et Roterodamensi. Quaedam Limborchii ad Lockium et hujus ad illum epistolae typis exaratae leguntur ad calcem operum Lockii (the Works of John Locke Esq. 3 voll. fol. Lond. 1727. vol. III. p. 593-668). Conf. Bibl. Select. l. laud. p. 365. — His addi possunt: NICERON, *Mémoires pour servir à l'Histoire des Hommes Illustres.* T. XI. p. 39—53, qui Clerico Cattenburchioque sua se debere profitetur, et (PAQUOT) *Mémoires pour servir à l'Histoire Litteraire* etc. T. V. p. 434—448, qui in enarranda vita Limborchii Niceronem presso pede sequitur, in librorum ejus censura suo stare mavult judicio, i. e. satis iniquo. Caeterum conf. patris mei, V. Cl., Memorabilia Seminarii Remonstrantium (Gedenkboek van het Seminarium der Remonstranten. Leeuwarden, 1840.) p. 114—119.

§ 2. *Limborchii natales et ad variam eruditionem institutio.*

Natus est Philippus a Limborch Amstelodami die 19 Junii anni 1633, parentibus Francisco a Limborch et Gertruda Episcopia, Reimberti, Simonis fratris, filia. Pueritiam Ultrajecti et Lugduni exegit; Amstelodamum redux ab anno aetatis quarto decimo ad decimum nonum

[1] Cum in hac 5ta Theologiae Christianae editione oratio Clerici sine paginarum numeris legatur, me quoque ubi hanc citavi illos omisisse ignoscant lectores. Num in 4ta etiam Theologiae editione habeatur nescio; hanc enim non vidi.

Barlaeum, Vossium, Senguerdium et Blondellum [1], dein Curcellaeum audivit; hinc Ultrajectum profectus Voetii caeterorumque in illa Academia Theologiae professorum scholas per biennium frequentavit. In Bibliotheca Remonstrantium Roterodamensi tres servantur epistolae quas tunc temporis Ultrajecto ad parentes dedit Limborchius, ex quibus apparet eum et privatim et publice, cum Voetio aliisque cumque commilitonibus suis, de sententia Remonstrantium nonnumquam disputasse; ita tamen ut erga magistrum reverenter, amice erga caeteros se gesserit [2]. Quid ex Voetii disciplina profecerit, quidve de ipso senserit definire non ausim. De ejus asseclis passim queritur. De studiis suis philosophicis haec anno 1699 ad virum doctum Anglum, Christianum Ludovici (Dr. Lodowick, ut apographo epistolae subscriptum est), refert: »*Quod philosophiam naturalem spectat, philosophi, quos tu corpuscularios vocas, accuratius quam Aristotelici philosophari mihi semper visi sunt. Verum causas phaenomenorum naturalium dare difficile est; ideoque neminem hactenus vidi, cui per omnia assensum praebere possim. Cartesius in multis satis felix est: sed in aliis non satisfacit. Gassendus multa habet eximia: verum prolixior est ejus philosophia naturalis. Ego ex singulis eligo, quae mihi vero maxime consentanea videntur. Habetis in Anglia eruditissimum atque accuratissimum philosophum*

[1] De Blondello nihil apud Clericum l. laud. Verum ipse Limborchius in epistolis ad A. Borremansium (vide Joannis Massonis tractatum de Jani templo Christo nascente reserato, Roterod. 1700, p. 14.) et ad Joannem Massonem (quam editam vide ibid. ad calcem praefationis) diserte hoc testatur. Et vero diligentem attentumque illum Blondelli discipulum fuisse ex eodem illo Massonis libello apparet.

[2] Fragmenta ex hoc Limborchii cum parentibus literarum commercio edidi in Append. A.

Joannem Locke, cujus excellentissimus de Intellectu humano tractatus ex Anglico in Gallicum sermonem versus in civitate nostra excuditur." Cartesii »*incomparabilis heroïs, summi illius philosophi*" alibi quoque honorificam mentionem facit; Lockium quanti aestimarit in vulgus notum est. Spinozam contra ferre plane non poterat; de quo in epistola initio anni 1682 ad Clericum data: »*Post obitum ejus.*, inquit, *prodiere opera ipsius posthuma, inter quae praecipuum est cui titulum dedit Ethices, cum tamen duo priores illius libri verius sint Metaphysica, primus quippe de Deo, secundus de mente humana disserit: verum adeo obscure ut Oedipo opus sit ad genuinum ipsius sensum eruendum. Aliquid tamen impiae isti opinioni opponendum censeo. In Epistolis suis, quae etiam inter posthuma opera conspiciuntur, clarius mentem suam de Fato explicuit. Memini me ante sexennium ad convivium vocatum, cui, praeter meam exspectationem, author hic intererat: inter precandum signa animi irreligiosi ostendebat, adhibitis gestibus, quibus nos, qui Deum precabamur, stultitiae arguere videbatur.*" Mox de Spinozae asseclis: »*Plerique hi homines*, inquit, *impietati suae praetextum quaerunt in dissensionibus et mutuis anathematismis Christianorum, quasi nihil in religione certum sit, atque ita omnem ex animo suo religionem excutiunt. Interim vitae sunt non castigatae nec castae: adeo ut appareat ipsos impietati suae praetextum quaerere, ideoque talem sibi fingere Deum qualem vellent. Quanto autem nocentius est ipsorum venenum, tanto nos magis in id incumbere oportet, ut praetextus ille maxime speciosus ipsis adimatur,*" etc. Caeterum diligentem philosophiae, imprimis logicae, operam dedisse Limborchium, cum ex ejus operibus, praesertim e Theologia Christiana, tum ex literarum commercio quod cum summo Lockio de libertate

habuit, apparet [1]. Arithmeticae quoque, si Clericum audis, peritissimus erat. Historiam, imprimis patriae, praesertim saeculi sui et a suo proximi, optime noverat. Linguas quod attinet, Anglicae prorsus erat imperitus, non sine magno suo incommodo, cum praesertim amicorum plerosque ex hac gente haberet. Gallicam intelligebat quidem, at non tam bene ac Latinam; nonnullas literas Germanico sermone ad ipsum datas reperi. Omnino ad hoc linguarum studium natura aptior quam propensior videtur fuisse, quamquam multorum eo pertinentes libros illum evolvisse refert Clericus. Stili Latini facilem habebat usum et elegantiorem quam in Theologo exspectamus. Porro »si quaeras quae in Theologo praesertim desiderantur" — utor verbis Clerici in fine orationis laud. — »in eo omnia abunde inveneris. Veritatem ante omnia amabat, noctuque et interdiu lectione Scripturae Sacrae et optimorum quorumque Interpretum ac Theologorum quaesiverat et invenerat. Ei constanter adhaeserat, itaque eam in animum et memoriam admiserat, ut quidpiam de Theologia quaerentibus, etiam in rebus arduis, nullo negotio satisfaceret." Quod quam vere dixerit Clericus tum demum sensi ubi Limborchii adversaria evolvi, quae vastam testantur exquisitamque atque accuratam lectionem [2], literasque perlegi quas de variis ex omni Theologia locis ad familiares scripsit [3]. At nemini harum laudum veritas

---

[1] The Works of John Locke, l. laud. p. 646—666.

[2] Distributa sunt in duo volumina in 4to satis spissa, quorum prius collectanea de rebus complectitur, testimonia de personis alterum. Illam in adversariis suis secutus est methodum Limborchius quam commendavit Lockius: a new method of a common-place-book; translated out of French from the Second Volume of the Bibliotheque Universelle, in the Works of John Locke Esq. Vol. 3. p. 481—495.

[3] Praeter epistolas editas quas de libertate ad Lockium scripsit, ine-

suspecta esse poterit, nisi quis in ejus scriptis plane sit hospes.

Et haec quidem de eruditione Limborchii undique conquisita testimonia in hanc potissumum paragraphum contuli, qua de ejus institutione agimus. Cum enim de adolescente paucissima memoria sint tradita, qualis illa aetate fuerit, qua industria, qua assiduitate, quibusque praecipue delectatus studiis, ex virilis ingenii doctrinaeque praestantia aestimare debemus. Quamquam ipsa illa de qua dicimus institutio non angustis adolescentiae spatiis continetur, sed in generosissimo quoque ad ultimum pertinet vitae terrestris terminum, quae quid aliud est sapienti nisi institutio et *προπαιδεία* ad coelestia? Limborchius certe vel senex aliquid semper cupiebat addiscere; idemque — ne quis sero illum sapuisse opinetur — viginti duorum fere annorum juvenis insigni documento ostendit quam bene intelligeret Theologo varia et perfecta opus esse eruditione. Nempe, cum anno 1655 ad Evangelii ministerium in coetu Remonstrantium Alcmariensi obeundum vocatus esset, illud recusavit, egregie tardus, ut per biennium sibi studiisque totus vivere pergeret, paratior quam citior gravissimum munus capessere volens.

---

ditas reperi illo nomine laudandas complures; v. gr. ad Iac. Batelerium, de locis Hebr. XII, 16, et Rom. XI, 25 sq., tum etiam de versione Sacri Codicis Belgica quae Ordinum Generalium auspiciis prodiit; ad Henricum Morum, de praedestinatione ad salutem; ad Joannem Layton, de peccato originali, quod dicitur; alias. Facile est de quovis argumento verba facere; verum extemporali ferme opera de rebus gravissimis ita copiose et plane exponere, ut non epistolam sed doctam diatriben scribere videaris, illorum tantum est praedivitum virorum, qui thesauros sibi collegerint, unde *καινὰ καὶ παλαιὰ* larga depromere possint manu.

§ 3. *Limborchius in Evangelii ministerio inque edendis Episcopii, Curcellaei, aliorum Remonstrantium, scriptis occupatus.*

Anno saeculi decimi septimi quinquagesimo quinto ferme medio, aetatis vigesimo secundo exacto, examen Theologicum subiit Limborchius et ad publicas conciones habendas admissus est, quarum primam habuit de Christi effato quod legitur Matth. VII, 12, quodque tanti fecit ut hanc potissimum vitae veluti normam et tesseram sibi videatur elegisse. Postquam eodem anno vocationem ecclesiae Alcmariensis abnuerat, biennium post Goudae sanctum ministerium auspicatus est, verba faciens de 1 Cor. XIII, 12. Undecim annos hoc munere functus est, quorum decem Goudae, postremum Amstelodami degit. In ejus concionibus hoc laudat Clericus, quod calamistris, uti ajunt, inustae minime fuerint, sed rerum potius copia et delectu, tum et recta Sacrae Scripturae interpretatione atque argumentorum vi et ordine eminuerint [1]. Cattenburchius l. laud. refert de li-

[1] Conf. Bibl. Sel. l. laud. p. 354, unde sua habet Niceron, l. laud. p. 40. Male igitur Clericum intellexit Paquot, l. laud. p. 435: »il (le Clerc) avoue cependant que les Sermons de Limborch étoient peu travaillés, et qu'il y paroissoit peu d'éloquence." Ridiculus est idem ibid. in nota: »Le P. Niceron dit que ses sermons étoient *méthodiques, solides et édifians.* Convenoit-il à un Religieux Catholique de qualifier ainsi les sermons d'un Remontrant, et cela sur la seule autorité d'un Socinien (Jean le Clerc) qui ne les avoit pû entendre, et qui ne pouvoit en parler que par oui-dire?" In postremis falsus est Paquot; Clericus in orat. fun. diserte addit: »quales (conciones) etiam Amstelodami habentem audivistis, et nos quoque interdum auribus nostris accepimus." Limborchium conciones suas non semper integras scripsisse apparet ex epistolâ ad C. Hartsoekerum, data Amstelodami 1671: »Hiernevens gaet de dispositie van de applicatie mijner predicatie. UwE. kan het gebruy-

bello Limborchii anecdoto *de recta concionandi ratione.* Servatur talis paucularum paginarum tractatus in Bibliotheca Remonstrantium Roterodamensi. Sunt apophthegmata a discipulo quodam, ut videtur, Limborchii ex ipsius ore currente calamo excepta, anno 1707. Quamvis multa in illis desiderentur ad justam plenamque institutionem Homileticam, insunt tamen non pauca egregie monita, si praesertim aetatis illius et vitiorum quibus plerorumque Limborchii aequalium conciones sacrae laborabant rationem habeas. Horum unum alterumque typis exarandum curavi in App. B.

Dolendum profecto est tam pauca nos de Limborchio Evangelii ministro memoriae tradita habere. Reperi commentarios ipsius Limborchii manu scriptos de turbis quas excitavit libellus quem contra Sceperum, V. D. M., de mutua tolerantia scripserat, quemque famosum esse ajebant Ecclesiae publicae antistites. Magistratus vero effecerunt ne actio in Limborchium institueretur. Quam dignum se praestiterit Episcopii nepotem Arminiique asseclam Curcellaeique discipulum cognoscere est ex epistola, Goudae 22 Martii 1665 data, in qua — nescio ad quem, nullam enim habent literae inscriptionem — haec de sua concionandi methodo pacifica refert: »*Huic fundamento tolerantiam nostram superstruimus, in S. Scripturae scilicet verba jurandum. Et revera illa unica in varias scisso sectas Christianismo medendo panacaea est, si semel omnibus humanis decisionibus extra Scripturam nuntium mittamus. Ego ita publice doceo Ecclesiam meam; salutem non esse alligandam nostro caetui; quin imo, me*

ken tot sijn genoegen. Doch ik diende dit vooral wederom te hebben, want dit is noch het volmaektste, dat ik van mijne predicatie hebbe; ik hopese noch eens ter degen in schrift te brengen in 't Duytsch."

pro Remonstrante habere non proprie eum, qui eandem nobiscum in quinque (quos vocant) articulis sententiam profitetur; sed qui neminem a se dissentientem (intelligo hoc de dogmatibus ad salutem non praecise necessariis) condemnat, licet per omnia mecum non sentiat, imo licet in multis meo judicio errare credam" [1]. En veri nominis Remonstrantem! Non mirum est hunc, qui sic sentiret, quique tam probe sibi conscius esset quale munus et semper Evangelii ministro divinitus incumbat, et tunc peculiari quadam ratione Remonstrantibus esset demandatum, hunc, inquam, qui tam bene intelligeret quali remedio Ecclesia opus haberet, illos magni fecisse viros qui ejusdem ante ipsum sententiae patroni fuerunt. In Episcopio reprehensum fuit quod antiquam Ecclesiae historiam Patrumque scripta negligeret; idem Limborchio quoque fortassis vitio dari posset; quamquam speciosior quam verior haec querela videtur. Attamen quominus in hoc antiquitatis Ecclesiasticae studio tanta assiduitate versarentur, quanta solebant illius aevi Theologi, multae obstiterunt causae; quarum nonnullae ambobus communes fuerunt; hanc praecipuam peculiarem-

---

[1] Leg. quae collegit pater meus, V. Cl., similia aliorum Remonstrantium effata, in Memor. Sem. Rem. p. 257—260. Exemplo quo illorum sinceritatem probat (ibid. p. 260 sq.) alterum addam. Clericus, postquam Arminii placita amplexus erat, veritatem, quam sibi invenisse videbatur, libellis tractatibusque Gallis explicari commendarique cupiebat, eaque de re ad Limborchium scripserat (vid. Spec. meum de Clerico p. 33). Cujus juvenilem ardorem hic prudenter temperavit. In literis 3 Oct. 1681 Amstelodamo datis: »non puto, inquit, multum de divina praedestinatione aliisque controversis dogmatibus, de quibus jam ad ravim disputatum est, esse contendendum; sed Christianae tolerantiae fundamenta perspicue esse eruenda et solide demonstranda. Ita aliquid operae pretium fecerimus."

que habuisse Limborchium crediderim, quod Arminium, Grotium, Episcopium, Curcellaeum, reliquos, eodem ferme loco habuerit quo caeteris Patres Ecclesiae habebantur, ita tamen ut nullam talem iis dederit auctoritatem, qualem uni Christo Christianos tribuere oportet. Imo, in rebus adeo gravissimis ab illis discedere non dubitavit. Igitur hoc duntaxat volo Limborchium illorum exemplum secutum esse, incepta promovisse, adhaesisse consiliis. Indignos quibus ab adversariis habiti fuerant modos indigne ferebat; estque eo magis laudanda ejus erga dissentientes lenitas, quo injuriam dilectis illis magnique aestimatis viris illatam aegrius tulit. In privatis ad familiares epistolis liberius interdum pronuntiat, non tam de controversiis quam de adversariorum odiis et tyrannide; at publice in scriptis editis rixarum auctores perstringere parcit, ne novarum ipse exsisteret auctor. — Propter varias causas scriptorum quae inedita reliquerant Remonstrantium illi quos dixi antesignani editor quasi designatus fuit Limborchius. Itaque cum chartae Episcopii, proavunculi sui, hereditate ad eum pervenerant, primum conciones in caput quintum Evangelii Matthaei ex illis in lucem protraxit anno 1657, antequam Goudensis ecclesiae curam susciperet. Duodecim annos post novam concionum Episcopii seriem typis tradidit pervulgandam; anno 1693 septemdecim alias edidit; his vitam Episcopii Belgice enarratam praemisit. Eodem denique anno hae omnes Episcopii conciones cum ejus vita conjunctim sunt editae Amstelodami in fol. — Vita Episcopii separatim quoque prodiit in 4to[1]; eadem anno 1701 (verius 1700) Amstelodami in 8vo prodiit a M. Ant. Teutone ipsius Limborchii auspiciis in linguam

---

[1] Hoc memorare neglexerunt Niceron, l. laud. p. 51 sv, et Cattenb.,

Latinam versa, Anglorum praesertim rogatu inque eorundem gratiam nonnihil auctior. Praeter »libellum Belgicum Episcopii, quo continetur summi viri disceptatio cum Guilielmo Bommio Romanae Ecclesiae Presbytero, in qua aliquot epistolis Ecclesiam Romanam neque esse erroris immunem, neque judicem controversiarum supremum, firmis argumentis, pro more suo, evincit" (haec Clericus in Orat. Fun.), qui anno 1687 Roterodami curis Limborchii prodiit, Operum Episcopii Theologicorum tomo priori, anno 1650 a Steph. Curcellaeo edito, alterum adjecerunt Poelenburgius et Limborchius, cum praefatione uterque sua, anno 1665 [1]. Anglicanae Ecclesiae et utrique Academiae dedicatum fuisset, ni saevum obstitisset bellum, tunc temporis inter Britanniae Regem et Belgii Foederati Ordines gestum (vid. Poelenburgii praefatio, init.). Missum tamen est in Angliam ad complures viros doctos. Qua occasione Limborchius in literis Gouda 31 Martii 1666 ad Petrum Gunningium, Regium S. Theologiae Professorem, Cantabrigiam missis: »*tum ex aliorum*, inquit, *relatu*, *tum praecipue ex juvenibus nostris, qui nuper in celeberrima vestra Academia peregrinati sunt, intelleximus clarissimi M. Simonis Episcopii opera tanto apud vos esse in pretio, quanto hic a quibusdam injuste ac calumniose traducuntur. Avidissime, ut audio, primum eorum volumen a vobis exceptum et lectum est: non minore cum alacritate alterius editionem desiderastis.*" Similia Poelenburgius l. laud.:

---

l. laud. p. 102; vid. Mem. Sem. Rem. p. 87 sq., ubi pater meus, V. Cl., alia quoque scitu digna addidit.

[1] Perperam Clericus anno 1661 hoc volumen editum esse refert in Orat. Fun. et in Bibl. Sel., l. laud. p. 356, quem sequitur Niceron, l. laud. p. 44.

»Nec aliunde, inquit, dum sub praelo sudabat diutiuscule hoc opus, saepius id aut flagrantius quam ab Anglis efflagitatum est, cum identidem scriptis ad diversarum Hollandiae civitatum bibliopolia literis sibi ejus copiam sine mora fieri postularent." Eundem erga Episcopium Remonstrantiumque familiam animum testantur multorum quas rescripserunt epistolae; in his sunt literae celeberrimi philosophi Rad. Cudworthii, qui: »*praeclare*, inquit, *a te factum meo judicio, quod sanctis hisce et eruditis clarissimi Episcopii reliquiis lucem non invidens, iisdem tandem literarium beasti orbem. Quum tantum in hoc authore emineat judicium subactum et castigatum, ingenii acumen et dicendi perspicuitas, una cum omnibus istis Ethicis dispositionibus et characteribus, qui scripta commendare solent; spes est certe hisce machinis castrum illud erroris, munitissimum licet, tandem expugnatum iri.*"

Anno 1660, socio Christiano Hartsoekero, V. D. M. in ecclesia Remonstrantium Roterodamensi, Corpus epistolarum praestantium et eruditorum virorum edidit Limborchius; repetitum est anno 1684 multo emendatius atque auctius; tertium prodiit anno 1704 novo augmento ornatum; »*volumen*" — quae ad Limborchium anno 1685 Lutetiae scripsit Petrus Allixius — »*auro contra charum, quo quidquid ad Theologiam elucidandam et controversias vestras enucleandas spectat ita complexi sunt viri vere praestantes et eruditi, ut, si quid vestris adversariis supersit pudoris ac frontis, hoc lecto volumine, technis quidem et arte se vestros vicisse sed prorsus apud aequos judices causa casuros esse, diffiteri neutiquam possint.*" Haec Allixius, nimis forte fidenter quod dogmata controversa attinet. Attamen magnum hoc est et minime vulgare, epistolas illas in medio controversiarum

aestu scriptas ex scriniis in lucem publicam protrahi potuisse, atque in praefationibus inque literis ad viros doctos talia addere potuisse Limborchium: »Habetis, en, illorum qui rerum novarum molitores Ecclesiaeque ac Reipublicae perturbatores audiunt secretas machinationes arcanaque omnia consilia patefacta. His carcerem exsiliumque meriti censentur. Scilicet in Synodo Dordracena qui adversarii iidem judices quoque nostri fuerunt. Nos vero totam Ecclesiam appellamus."

De Arminii anecdotis quibusdam edendis Limborchius aliquando cogitavit [1]; nec tamen propositum exsecutus est. Stephani Curcellaei vero Opera Theologica, ut postremae ipsius filii, Gideonis Stephani, voluntati satisfaceret [2], edidit anno 1675, iisque egregie praefatus est; ita quidem ut primum indicaret qualem deceat esse Theo-

---

[1] Limborchius in literis ineditis ad De la Coste, vir. doct., anno 1676 Lutetiam Parisiorum missis: »Sunt penes me aliquot manuscripta D. Jacobi Arminii, explicatio videl. prophetarum Ionae et Malachiae, aliaque, quae fortasse lucem videbunt." Conf. quoque Append. D. 3. Vid. Cattenb. Bibl. Script. Rem. p. 5. Familiar Letters between Mr. Locke a. s. f. l. laud. p. 617.

[2] Limborchius in literis ad P. Allixium anno 1682 datis narrat: Gideonem Curcellaeum ipso praesente jussisse ut post suam mortem omnia quae haberet Mss. ipsi traderentur; se vero negotiis impeditum huic hereditati non statim manum injicere potuisse, sed viduam Curcellaei aliorum, ultro se offerentium, in digerenda in ordinem Bibliotheca, opera usam esse; hos, homines Remonstrantium causae non usquequaque addictos, a quibus frustra praedam esset repetiturus, magnam Msstorum partem surripuisse. De quibus schedulis quid factum sit aut ubi lateant ignoro. In literis vero ad De la Coste laud. Limborchius: »Curcellaeani, inquit, operis delineationem habeo; sed quoniam inter scribendum methodum antea conceptam variis in locis mutavit, quaedam in opere edito jam exstant, quae si operis delineationem spectes adhuc tractanda restant. Virtutes Christianas in Synopsi Ethices delineatas habes. Exinde hoc ordine constituerat progredi: de praeceptis Christi

logum quidque in dogmatum praecipue expositione praestare debeat, deinde Curcellaeum talem fuisse et rite munere suo functum esse probaret. Quo vero plura edebat aliena, eo majorem sui concitabat exspectationem, si quando ipse Theologiam Dogmaticam integram illustraret. Apud Anglos praesertim crescebat in dies Limborchianarum Institutionum desiderium.

§ 4. *Limborchius principem inter Remonstrantes locum obtinet, primusque inter pares versatur.*

Post obitum Arnoldi Poelenburgii, viri praestantissimi, in Seminario nostro professoris, Synodus Remonstrantium, ad diem 16 Novembris 1666 extra ordinem Amstelodamum convocata, hanc sibi legem scripsit, ut vacuae provinciae praeficeret virum vitae integritate in-

---

ceremonialibus, Baptismo et Coena Domini; de rebus adiaphoris, libertate Christiana et scandalo; de praeceptis humanis, de votis monasticis, aliisque superstitionibus ac falsis quinque Sacramentis Pontificiorum; de purgatorio et indulgentiis; de praeceptis quae peculiares aliquos ordines vel status concernunt (quae in Synopsi Ethices cap. XIV delineata habes); de necessitate et possibilitate observationis praeceptorum Christi (haec autem jam exstant Instit. lib. VII, cap. I et II); de perseverantia in fide, certitudine salutis et apostasia; de promissis et minis N. Foederis, tam quae in hoc, quam quae in futuro saeculo implentur; de Ecclesia et ejus collectione, primo per ministros extraordinarios; de ministris ordinariis; de Ecclesia et ejus variis distributionibus et proprietatibus; de notis Ecclesiae; de officiis civium Ecclesiae, ut conveniendi in caetus, etc.; de disciplina Ecclesiastica; de Synodis, earumque necessitate, habendi modo, et auctoritate; de haereticis et schismaticis eorumque poenis (haec autem postrema maximam partem jam legi possunt Instit. lib. VII, cap. XXXVII); de pace Ecclesiastica colenda inter eos qui conveniunt in capitibus religionis fundamentalibus, quamvis in aliis dissideant. Habes hic capitum quae tractanda restant delineationem in epitomen redactam, unde tibi de methodo Curcellaeana facile constare potest."

culpata, Theologiae peritia, suavitate morum, mutuae tolerantiae studio, ingenio ad docendum apto, bona existimatione et dignitate apud homines extra ipsorum familiam, Historiae denique et Philosophiae, Cartesianae praecipue, scientia se commendantem; quodsi haec cuncta in uno eodemque viro frustra quaereret, duos statuit eligendos, quorum conjuncta virtus locum illum digne ornaret. His positis conditionibus professorium munus delatum est Isaäco Pontano, V. D. M. in ecclesia Remonstrantium Amstelodamensi, cujus ministerium vocatus suscepit Limborchius, anno 1667. Pontanus vero, quamquam cathedrae aptissimus census erat, sacro tamen suggesto sibi aptior videbatur et communi coetus sui desiderio motus ad pristinam conditionem rediit. Tum quidem legibus quas scripserat Remonstrantium Synodus unus Limborchius satisfacturus censebatur. Huic ergo juvenes docendi munus mandatum est, primum in annum, mox die 19 Aprilis 1668, in perpetuum [1].

Per quadraginta quatuor ferme annos scholae nostrae praefuit. Nihil aut fere nihil de opera quam juventuti dedit, de institutionis ambitu, methodo, successu, similibus, memoriae traditum est. Perspicuitatem et ordinem in docendo, tum et temperatam comitate gravitatem in illo laudat Clericus in Orat. Fun. versus finem. In epistola Limborchii ad Chr. Hartsoekerum, anno ut videtur 1676 data, haec pauca reperi, memoratu non indigna. In lectionibus philosophicis, quas minus provectis discipulis habebat, Gassendi Physicam continua oratione explicabat. Insuper juvenes nostri V. Cl. de Raey, in Athenaeo Illustri professorem, Cartesianae phi-

[1] Vid. Mem. Semin. Remonstr. p. 110—114, coll. Bibl. Sel. I. laud. p. 356.

losophiae principia tradentem audiebant. Ea erat auditorum assiduitas atque attentio qua Limborchius contentus esse posset. Attamen nullos aut vix ullos faciebant progressus. Erant in illis, ut fit, nonnulli tardioris ingenii; sed neque caeteri, quibus benignior fuerat natura, multum proficiebant. Dolebat hoc Limborchius et mirabatur. Tandem rei causam cognovit. Scilicet videbat juvenes magistri explicatione contentos horis quidem statutis in subselliis considere, domi vero libris sepositis neque lectioni neque meditationi incumbere, institutionis suae curam penes Limborchium esse ratos; igitur nec parati in scholam veniebant, nec quae audierant secum repetebant; ignavi satis omnino laboris tulisse sibi videbantur; diligentiores domi quidem non plane desides erant, attamen philosophicis istis satis superque se insudasse credebant; extra scholam alia, nova, sublimiora, amoeniora venabantur. Quid faceret magister? Acri objurgatione nihil se profecturum credebat, sed si blande et dextre discipulos dirigeret. Coram illis aliam se dehinc methodum sequi velle profitetur; vel potius se hoc docendi munus cum ipsis velle commune habere; ipsi domi Gassendum legant, se quoque hoc facturum; in schola quotidie colloquia de iis quae legissent se habituros; primas partes sibi professori deberi, se igitur rogaturum atque examinaturum; dein, si quid obscurum esset dubiumve, ipsi magistrum interrogarent, pro viribus se respondere paratum fore. Praevidebat sic omnes, nisi aliorum se sibilis ac sannis vellent exponere, diligentes esse debere; tum sensim lectioni meditationique assuetos aliorum etiam philosophorum, antiquiorum recentiorum, Cartesii praesertim, placitis sine praeceptore operam daturos. Egregia profecto methodus, quae tamen ita nova atque insolens fuisse videtur ut non nisi cunctanter ejus periculum

fecerit Limborchius. Verum paullo post se cum successu illa uti Hartsoekero significavit, illamque Voldero etiam aliisque professoribus, quibuscum eam communicaverat, quam maxime esse probatam.

Cum huic paragrapho inscriberem, Limborchium inter Remonstrantes tamquam primum inter pares esse versatum, de professoria quidem dignitate cogitavi, quae »auctoritatem illi apud suos parabat" (Clericus in Orat. Fun. l. laud.); verum non hanc solam intellexi. In oculos incurrit discrimen quod ab hac parte Limborchium inter et Clericum factum est. Hunc, peregrinum, Geneva advenam, ne sermonis quidem Belgici satis peritum, semper suspiciose intuiti sunt Remonstrantes; multis adeo magis toleratus fuit propter summam doctrinae praestantiam propterque Limborchii et aliorum amicitiam, quam dilectus aut magni habitus. Illum, Episcopii consanguineum, tanti fecerunt, ut et in omnibus magnam ei attribuerent auctoritatem et res ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes ad unius ferme illius prudentiam componerent. Adsunt rerum testimonia in epistolarum commercio quod cum variis habuit. Multa afferre cum possem afferam pauca. In genere praemonendum est Limborchium quaestiones de quibus ad ipsum referretur sic dirimere solitum fuisse, ut primum semper cogitaret num quid esset Christi Apostolorumve de hoc vel simili casu praeceptum, sive verbis illud enuntiassent sive exemplo ipsi suo dedissent; dein Episcopii caeterorumque suorum decessorum scripta consulebat, ita tamen ut communem universae Ecclesiae Christianae consuetudinem non negligeret; tum ipse quoque suo Marte rem perpensabat, neque tantum quid per se justum esset, verum etiam quid per praesentem rerum conditionem utile et aequum, deputabat; denique, si praesertim aliquid ma-

joris momenti ageretur, paucos quosdam amicos, aut synedrium Amstelodamensis ecclesiae, aut Roterodamensis etiam, vel et interdum generalem Remonstrantium Synodum, quae semel certe quotannis habebatur, in auxilium vocabat; valde enim modestus erat et suo diffidebat judicio. Attamen tanta erat ejus cum integritate et candore conjuncta prudentia, tantaque in ipsa modestia auctoritas, ut etiamsi controversiae plurium vel omnium suffragiis dirimendae committerentur, Limborchii tamen sententia numquam ferme non omne ferret punctum. Ut igitur, quod pollicitus sum, dicta exemplis comprobem, initium ducam a viro plur. ven. Chr. Hartsoekero. Hunc, in ecclesia Remonstrantium Roterodamensi ministrum, vir quidam ex illorum numero qui Rhenoburgenses vel Collegiarii vulgo dicebantur, nomine Oudanus, adierat, rogans ut ad Sacram Coenam admitteretur, cum tamen simul significaret se neque baptizatum esse nec velle baptizari. Hartsoekerus Limborchium consuluit; hic epistolas rescripsit satis prolixas. Iesu praeceptum, Apostolorum praxin, Ecclesiae ritum, Episcopii de simili casu placitum antestatur, ut probet baptismum, quamvis salutem ab ejus observantia aptam esse perhibere nolit, tamen consulto negligi non posse absque gravi errore aut obedientiae quae Christo debeatur contemtu; graviter in non baptizati ad Sacram Coenam admissionem offensuros esse omnes ferme Christianos; hominem istum ferendum quidem esse, neque inclementer ex Ecclesia protrudendum, cum ad saniorem mentem forte aliquando redire possit, verum ita arcte conjunctam esse utramque caeremoniam, ut qui alteram aspernetur nullam habeat cur alteram celebrare velit justam causam. Aliquamdiu in consilio suo fluctuasse videtur Limborchius; vicerunt tandem quas exhibui rationes.

Vir quidam qui histrioniam faciebat cum sorore sua, eidem vitae generi addicta, anno 1699 coram synedrio ecclesiae Haganae Christianos et Remonstrantes se professi erant, rogarantque ut ad Sacrae Coenae communionem admitterentur. Res eo quidem tempore insolens et inaudita. Difficultatem augebat quod vulgo tunc fabulae docebantur tam inhonestae et turpes, ut partes in iis agere sine morum suorum corruptela et bonorum omnium offensione vix possent comoedi. Nicolao Bergmanno V. D. M. a synedrio mandatum fuit ut literis Limborchium consuleret. Hic homines illos, nisi vitae genus mutare vellent, non admittendos censuit. Quamquam enim per se histrioniam non illicitam judicaret, imo utilem, si castae tragoediae vel comoediae etiam pudicae in scenam producerentur, plerasque tamen fabulas ita turpes esse histrionemque tot verba nupta eloqui, tot obscenos gestus agere debere, ut, etiamsi mores a communis sociorum nequitiae contagione immunes servaret, ipsa sua professione peccaret in praeceptum Pauli Eph. V, 3 sq.; neminem autem ad Sacram Coenam admitti aut debere aut posse, nisi quem peccatorum serio poeniteat quique illa aversetur; hoc vero non obtinere in illis qui inhonestum vitae genus relinquere peccandique occasionem vitare nollent. Hanc suam esse sententiam, quam tamen aliorum judicio libenter submittat, imo censere se ad generalem Remonstrantium Synodum de re ista referendum esse. Homines illi non admissi fuisse videntur. Quadriennium post eadem illa mulier — nam de fratre nihil invenio — synedrium ecclesiae Leidensis adiit, cujus nomine A. van Ede V. D. M. Limborchii rursus consilium expetivit. Ille in sententia perstitit.

Anno 1702 coetus Mennonitarum Leovardiensis rogavit vener. Paulum Verrinum, qui Doccomii inter Remon-

strantes pro tempore Evangelii ministerio fungebatur, ut sibi eandem operam interdum praestare vellet. Ille Limborchium, hic ecclesiarum Amstelodamensis et Roterodamensis synedria consuluit. Res admodum placuit. Itaque Verrinus semel atque iterum in coetu illo conciones habuit, rem tacite permittente magistratu. Mennonitis tam gratum fecit ut hi mox omnibus candidatis Remonstrantium, qui semper per aliquod tempus in Frisia commorarentur, illam coetui Leovardiensi Evangelium annuntiandi veniam dari cuperent, se vicissim Doccomiensi Remonstrantium ecclesiae similes suppetias ferre paratos fore pollicentes. Verrinus strenue rem agebat, ita tamen ut nisi consulto Limborchio nihil inciperet, siquidem, quod verissime sentiebat, hac in re uti in omnibus fere erant ἔργα δὲ νέων, βουλαὶ δὲ γερόντων. Tantopere in nova hac amicitia sibi placebant Mennonitae ut, plaudente Verrino, arctiorem etiam meditarentur conjunctionem, atque nonnullis e suis, qui illam aspernarentur, communione sua interdicere vellent. Quod ubi per Verrinum acceperat Limborchius statim ad hunc rescripsit se in omnibus ferme rebus, praecipue quae ad religionem pertineant, vim improbare; tolerantiam vero mutuamque caritatem ac liberalitatem anathemate commendare hominibusque persuadere velle prorsus esse ineptum atque illicitum. Commercium cum Mennonitis Frisiis longius etiam pertinuit; verum de eo exponere meum non est. Hoc addam, Limborchium rem ad Synodum generalem Remonstrantium, quae anno 1703 habita fuit, retulisse; Synodum vero ejus procurationem synedriis Roterodamensi et Amstelodamensi commendasse; haec rursus per unum fere Limborchium cum fratribus Mennonitis egisse.

Antequam haec domi gerebantur, exterorum etiam

rebus rogatus se immiscuerat Limborchius. Fredericopolin, quam urbem in Holsatia condiderant Remonstrantes exsules, circa annum 1670 Quakeri nonnulli ex Anglia et Hollandia appulerant. Hi aliquot Mennonitarum et Lutheranorum socios, uti et viduam e Remonstrantium coetu, in suas partes traxerunt. Lutherani apud Ducem Holsatiae, Christianum Albertum, de hominum illorum audacia queri. Hic, 5to Augusti die anni 1673 rescripto ad magistratus Fredericopolitanos misso, jussit ut Quakeris atque omnibus qui ad illos transierant civitate interdiceretur; idem decimo post die altero rescripto firmavit. Magistratus illi Remonstrantes erant, ideoque sibi illicitum esse judicabant alios religionis causa sollicitare. Ab altera vero parte se Duci, cujus essent subditi, opponere nefas putabant. Literis Limborchium consulunt. Hic, re cum aliquot amicis communicata, sic sensit: illos mandati Ducis exsecutionem vi impedire non debere, ipsos vero illud exsequi non posse, Deo enim magis obediendum esse quam hominibus. Suadet igitur ut si novo rescripto non urgeantur Quakeris nullam facessant molestiam. Si vero mandatum repeteret Dux, ipsi responderent: se provisuros ne Quakeri civitatem turbarent, in rebus vero quae religionem spectent et conscientiam violentia uti non posse; tantam fuisse Ducis clementiam ut ipsos patria expulsos hospitio exceperit et libera religione uti voluerit; atqui per ipsam illam religionem se mandatum Ducis exsequi non posse; quodsi igitur immota ipsi stet sententia Quakeros exsilio multare, alios sibi eligere velit qui salva sua religione ipsi possint obedire; caeterum Remonstrantium de dissentientibus tolerandis sententiam Duci persuadere conarentur. Placuit hoc magistratibus. Mox Dux in exsilium missus fuit; post reditum aliquoties cum magistratibus expostulavit quod mandatum

contra Quakeros non exsequerentur, sed illi aperte declararunt: se esse Remonstrantes neque cuiquam propter religionem civitate sua interdicere posse.

Et haec quidem sufficiant ut appareat quanta fuerit Limborchii inter suos auctoritas, non ambitione aut arrogantia, sed virtute, doctrina, prudentia parta. Illum cathedram in schola Remonstrantium Clerico Clericumque Remonstrantibus conciliasse in specimine literario fusius enarravi. Multa ex ejus literarum commercio cum doctis Remonstrantibus addere possem, sed illis in novo quodam corpore epistolarum praestantium et eruditorum virorum quam in hac dissertatione aptior esset locus [1].

§ 5. *Limborchii cum viris doctis extra Remonstrantium familiam commercium.*

Limborchium, doctrinae et virtutis principatu quodam inter suos excellentem, hoc nomine colebant quicunque in variis Europae regionibus Remonstrantium partibus favebant — si partium vox usurpanda de iis qui nullas esse cupiant — aut illorum certe amicitiam non aspernabantur. Ab hac etiam parte Clericum inter et Limborchium aliquod discrimen intercedit. Ille literarum commercium habebat cum omnis fere conditionis honestioris et maxime variae eruditionis hominibus, hic non nisi cum Theologis ferme et Philosophis; itaque illius quas dedit accepitque epistolae nomina et plura et partim certe illustriora prae se ferunt; hujus, quamquam a paucioribus missae, illarum tamen numerum aequant iisque argumenti gravitate doctrinaeque copia nonnumquam an-

[1] In Append. C. literas Limborchii vulgavi ad Petrum Grotium consolatorias, cum vir ille praestantissimus super exsilii calamitatem uxoris etiam morte afflictus esset; quae propter sententiarum gravitatem et stili elegantiam hac publica luce dignissimae mihi visae sunt.

tecellunt. Ex literarum commercio sic utriusque agnoscitur indoles et locus, ut Clerici stupeamus polymathiam, nomenque per omnem Europam, apud Principes hominesque privatos, doctos indoctos, tamquam ex eruditissimis eruditi, clarum; Limborchii miremur solidam Theologiae scientiam, summamque qua fuerit apud aequales suos bene multos in eodem genere excellentes, tamquam Remonstrantium princeps, existimationem.

In Anglia plurimi erant Arminii in dogmate de divina praedestinatione sectatores[1]. Causa fuit in gentis illius sensu communi et ingenio practico, quibus etiam factum ut primum systemata scholastica pro simplici Evangelii secundum Sacrum Codicem expositione lubenter rejecerint multi; dein longius progressi in Deismum et Materialismum nonnulli delapsi sint. Remonstrantium rursus doctores non pauci, in quibus Limborchius, praeeunte Grotio, formam regiminis ecclesiastici Episcopalem non necessariam quidem judicabant, neque tamen aut Sacro Codici oppositam aut per se illicitam[2]. Hinc amicitia inter ecclesiae Anglicanae et Remonstrantium familiae

---

[1] Res in vulgus nota est. Narrat Limborchius, in literis ad Alexandrum Wedderborne, Ecclesiae Anglo-Belgicae quae erat Sylvae Ducis ministrum, 28 Oct. 1662 Gouda missis, se in virum quemdam Germanum doctissimum incidisse, qui nuper Angliam peragratus esset; hunc in solennibus Academiae Cantabrigiensis comitiis audivisse defendi inter alias hanc thesin: *Arminius non est novator, sed veterem veritatem reduxit, verum Calvinus est novator.* Thomas Pierce, Theol. Prof. Oxoniensis, in literis ad Poelenburgium et Limborchium anno 1667 datis: »Regio quodam, inquit, mandato cautum est apud nostrates, ne quis Quaestiones Quinquarticulares s. in pulpitis s. in scholis in alterutram sane partem in se recipiat ventilandas. Ita tamen mihi constat, ut nihil magis, utrumque nostrum Archi-Episcopum et maximam partem Episcoporum, perinde esse orthodoxos hac in parte ac Episcopium." Similia in aliorum literis occurrunt.

[2] Imo hic illic in literis ad familiares non obscure significat Limbor-

antistites; quae quanta capere potuisset incrementa et quo tandem pertinuisset definire difficile est, nisi arctam conjunctionem variae impedivissent causae, quarum Limborchii aetate hae tres fuerunt praecipuae: ab Anglorum parte suspicio quod Remonstrantes cum Socinianis facere putabant [2]; a parte Remonstrantium metus ne foedus cum ecclesia Anglicana Contra-Remonstrantes graviter offenderet et sic patriae ecclesiae discidium augeret; tertia denique et validissima, quamquam ab utrisque magis sensa quam intellecta fuit, certe magis indicata quam aperte pronuntiata, haec fuisse videtur: quod Angli in dogmatibus Arminium inter et Gomarum controversis magnam partem Arminiani erant, universam vero sentiendi rationem quod attinet paucissimi erant Remonstrantes. Cum paucis igitur hisce praecipue frequens habebat literarum commercium Limborchius; ad quem Timannus Gesselius, medicus Ultrajectinus, in literis 16 Apr. 1669 datis: »*prudenter agis*, inquit, *et in grande nostrae societatis commodum, quidquid agis, et inprimis per literas illas tuas cum professoribus transmarinis communicatorias. Sequeris in eo antiquam primitivae Ecclesiae con-*

chius se illam valde probare. Conf. etiam Theol. Christ. Lib. VII, c. 4, § 7 sq. Nuperrime illam commendavit vir doctissimus Köllner, in Theol. Stud. u. Krit. Jahrg. 1843, 2tes H., S. 503 fg.

[2] Limborchius in literis ad Henr. Jenkes, Amstelod. 18 Apr. 1682: »Doleo, inquit, tantam in Anglorum animis mutationem; verum ea praeter exspectationem non evenit; jam ante decennium circiter eam mihi mens praesagiit; nec deest quibusdam praetextus, quod Socinianis anathema dicere vereamur. Quasi novum hoc sit, et non antea in libris nostris passim lectum. Hoc quidquid est, si errare credamur, piae erga communes humani generis infirmitates commiserationi, et profundae erga verbum divinum reverentiae condonent. Alias aut arctiores salutis ac damnationis regulas, quam a Deo ipso summo legislatore praescriptas, definire non audemus."

suetudinem, qua per epistolas illas formatas, pacificas et communicatorias, unitatem fidei et in ea contesserationem hospitalitatis, ut loquitur Tertullianus, conservabant; sic utrimque ex religionis similitudine excitatur et fovetur reciproca inter absentes et longe lateque dissitos amicitia ejusque firmum vinculum, quod etiam subinde non minus prudenter quam prospere missis muneribus roboras." Tanti Limborchium faciebant viri docti in Anglia ut viri clarissimi Crusius Juris, Volderus Philosophiae, Melderus Mathematices in Academia nostra primaria Lugduno-Batava professores, cum anno 1674 per ferias caniculares in Angliam excurrere statuissent, ab illo literas commendatitias sibi efflagitandas censuerint. Anno sequenti haec ad Jenkesium scripsit: »*Vir amplissimus et patricii ordinis Arnoldus Hoofdius, nuper civitatis nostrae Amstelodamensis Judex sive Scabinus, voluit per me tibi, cujus summam humanitatem aliquoties praedicare audivit, commendari."* Jenkesii illius, qui philosophum Christianum se dicere amabat, eratque homo insigni pietate atque ingenio liberali, Thomae Pierce, qui morbo letali afflictus et »*cupientissimus esse cum Christo*" vel sic tamen literarum commercium non intermisit, aliorum, jam aliquoties mentionem fecimus saepius etiam posthac facturi. Fuit praeter hos in amicis Limborchii doctissimus legum Hebraeorum interpres J. Spencerus, Metaphysicae et Ethicae Philosophiae doctor H. Morus, et hujus amicus atque collega Rad. Cudworthius, qui in literis quas initio anni 1668 ad Limborchium dedit quarumque partem jam exhibui supra (§ 3), refert de ratione qua ex Calvinista Arminianus factus sit [1]. Ex ecclesiae Anglicanae primatibus, praeter Tillotsonum Archi-Epi-

[1] Harum literarum uti et epistolae Damaridis Mashamae, Cudworthii filiae, eodem pertinentis fragmenta vide in Append. D. 1.

scopum Cantuariensem, Kidderum Episcopum Bathoniensem et Wellensem, alios, Limborchio inprimis amicus fuit optimus et doctissimus Gilbertus Burnetus [1]. Virum illum, cum natura satis liberalis esset et mitis, ita tamen exasperarat multorum in Anglia impietas et in religionem Christianam petulantia ut anno 1698 fortiter suaderet legem, qua muneribus publicis excluderentur impii et blasphemi, in his autem censerentur quicumque negarent ullam personam Sacrae Triadis esse Deum. Limborchius illam improbabat, neque Lockio eam placuisse ex epistola ad Limborchium inedita mihi apparuit. Itaque ad Episcopum Salisburiensem scripsit Remonstrantium professor ut ad leniorem mentem illum revocaret. Respondit Burnetus hunc solum esse legis illius finem ut fraenum licentiae impiorum immitteretur, ne *palam* blasphemiis suis in religionem debaccharentur; caeterum ea de hac re scripsisse Limborchium quae illo digna essent.

Cum Theologis quidem nostratibus praeter Remonstrantes amicum commercium habere non potuit Limborchius [2];

---

[1] Hujus ex multis duas epistolas publici juris feci in Append. D. 2.

[2] De solo Balthazaro Bekkero tale quid mihi apparuit. Haec de illo deque ejus libro *de betoverde wereldt* ad Phil. Hier. Andreae, anno 1695 fere elapso, retulit Limborchius: »credo ego eum hominem esse pium, candidum, ingenuum, moderatum et eruditum: talem ego eum in colloquiis expertus sum. Proposito pio hunc librum conscripsisse credo, ut summopere noxio errori, qui plerorumque animos pervasit, obviam iret, quo omnia quae committunt peccata diabolo autori adscribere solent. Sed ab uno extremo in aliud delapsus est." Caeterum hac quoque occasione referam me aut falli aut reperisse fragmenta literarum commercii quod cum Bredenburgio, Spinozae adversario, de duplici in Deo voluntate habuit Limborchius. In literis ad H. Morum, anno 1687 datis, refert illud se inscio typis vulgatum esse, seque propterea libello anonymo calumniose esse traductum. Qua de re cum nullum aliud vestigium invenerim gratissimum mihi erit si quis aliquid de illa compertum habeat velitque mecum communicare. Lubens vicissim meorum illi copiam facturus sum.

habuit vero cum Graevio cumque Voldero, quem supra laudavi, et cum Ger. Noodtio Juris in Academia Lugduno-Batava professore, qui eum dissertationis suae de religione ab imperio jure gentium libera exemplari donavit, pro quo gratias agens Limborchius in literis 8 Id. Apr. 1706 datis: »*Legi eam*, inquit, *ac relegi summa cum voluptate, et necdum altera lectione satiatus eam aliquoties repetere constitui. Thesin quam tueris tecum ut verissimam, et humano generi maxime salutarem amplector; argumenta tua solidissima judico, nec quid iis ulla cum specie opponi possit video. Gratulor patriae, quod in Academia illius celeberrima, in auditorio theologico, causa libertatis conscientiarum, omnibus illius incolis communis, tanta cum παῤῥησίᾳ, tantoque argumentorum pondere, a rectore magnifico sit defensa. Theologorum fuerat, in tam laudabili instituto facem aliis praelucere.*" At Theologi in patria nostra per triste discidium a se invicem alienati ne hoc quidem intelligebant, quanti sit ad felicem veri indagationem momenti nullam hominum vocem quamvis erroneam audire nolle et cum dissentientibus amice, moderate certe, disputare. Aut fallor aut huic suae sive sapientiae sive fortunae, qua, post primam in ipso Reformationis aestu intolerantiam, maxime varias variorum sententias absque communionis societatisque ecclesiasticae solutione admiserit, magnam partem Theologiae principatum debet Germania quo his nostris temporibus excellit. Ea quidem, de qua dicimus, aetate primas prae nostris hominibus in sacrosancta disciplina partes nondum tenebat, et liberioris ingenii Theologis minime abundabat. Lectu non indigna videntur quae ad Limborchium de Theologis Germanis scripsit doctus juvenis Georgius Gothofredus Fuchs, in literis anno 1683 Trajecti ad Rhenum datis: »*Quam vellem*, inquit, *ut mitio-*

ris genii Theologorum in Germania catalogum ingentem dare possem! Sed et ne rari dentur vereor, sive exstent, ne, me saltem, lateant. Equidem Wittebergae, dum Calovius fuit, ille — — asper, acerba sonans, *neminem lenioris animi potuisse emergere arbitror. Nunc fortean queant. Helmstadii ultra biennium non esse puto quod Titius quidam hujus notae vixit. Jenae Bechmannum ipse vidi, Altdorffii Reinhardum, utrumque verae pietatis studiosissimum. Francofurti ad Moenum Spenerum laudant. Praeter hos quos nominem non novi. Novit Jehova, et manibus suis inscripsit haud dubie illorum nomina."* Erant tamen plures, praesertim ex Calixti schola. Limborchio, quod ipse testatur, praecipue placebant Theologi Helmstadienses et Noribergenses. Amicos illum habuisse Jo. Fabricium, Titium, et Sam. Strimesium non miramur. Quid vero Jo. Frid. Mayerum, orthodoxias (Lutheranam intelligo) et librorum symbolicorum patronum acerrimum, hominem minime facilem [1], permoverit ut ad Limborchium Remonstrantem, tales mitteret Hamburgo anno 1691 literas: *»etsi, vir illustris, vel solum magni Vossii, celeberrimique Curcellaei nomen accendere hominum pectora valet, ad ambiendum alloquium et favorem tuum: effecisti sane ut incertum sit, magisne tua, an illorum in tanto adhuc discipulo superstitum, praedicari debeat felicitas. Tuum certe nomen celeberrimum eruditissimaque scripta facile omnium oculos ac mentes etiam perstringunt."* — quid igitur hujus amicitiam Limborchio conciliarit definire non ausim, utrum candida doctrinae et in hoste laudandae aestimatio, an mira in ipsa pertinacia levitas, qualem in litigiosis hominibus non raro videmus. — Anno 1696 literas accepit Limborchius

---

[1] Vide Schröckh, Kirchengesch. seit der Reform. VIIIter Theil, S. 273.

ab Ernestio Salomone Cypriano, qui tunc quidem in Academia Jenensi Theologiae operam dabat, illustrem deinceps in Ecclesia locum nactus[1]. De rebus Remonstrantium accuratius quaedam cognoscere cupiebat. Eodem anno similia ex Limborchio sciscitatus est Henricus Ludolfus Benthem, qui biennium post librum de Ecclesiarum et Scholarum in Hollandia statu in lucem emisit. In literis Bardovici prope Luneburgum datis memorat se ante semestre Limborchium coram esse allocutum, cujus dignitatem tanti aestimarit ut illo invisitato doctum istud Belgium plane non vidisse sibi persuasisset. Tredecim de Remonstrantium historia, placitis, ceremoniis caet. quaestiones Limborchio proposuit, ad quas ille comiter et plene, ut solebat, respondit. Omnino multi ex Germania Theologi, juvenes praesertim, virum inter Remonstrantes doctrina et gravitate principem visitabant. Ex Franco-Gallis pauciores ejus amicitiam colebant; in his eminent P. Allixius et Ludovicus le Blanc, professor Sedanensis, Steph. Curcellaei consanguineus.

Remonstrantium societatem et patrocinium fere omnes ambierunt Sociniani, quotquot aut ipsi in Hollandiam penetrarunt, aut cum fratribus in Hollandia exsulantibus commercium habuerunt. Illi miserandos advenas amice et benevole receperunt. Cum vero eo tempore tam exosi essent Sociniani, ut vel ii qui caeteroquin a tolerantia non prorsus alieni erant, hos tamen nullo modo ferendos existimarent, incredibile visum est Remonstrantes simul Socinianis favere et Socini doctrinam aspernari posse. Itaque pro Socinianis ipsi quoque sunt habiti; immerito sane;

[1] Vide Schröckh, Kirchengesch. seit der Reform. VIIIter Theil, S. 237. Epistolam, quae per sigla fere conscripta est, quasi in scholis eam dictasset professor, typis mandatam vide in Append. D. 3. Responsi Limborchii fragmentum adjeci uti et pauca quaedam ex alteris Cypriani literis.

certe si principes ex illorum familia viri intelligantur, nam de obscuris privatisque hominibus nihil affirmari potest. Causam hanc evicit Cattenburchius, in Specimine Controvers. inter Rem. et Soc. caet., ejus Bibliothecae Script. Remonstr. subjuncto. Nos in Limborchii exemplo indicabimus quali erga Socinianos animo fuerint. Ille complures ex eorum secta in amicitiam suam et per literas consuetudinem admisit; prae caeteris celeberrimum Samuelem Crellium, quem doctis quoque Anglis commendavit, et Benedictum Wissowatium, Andreae, Fausti Socini ex filia nepotis, filium. Cumque anno 1702 duo ecclesiarum Socinianarum exsulantium legati, Christ. de Zagorski et Io. Kmitam, coetus Remonstrantium Roterodamensis antistites orarent ut auxilio pecuniario suorum miseriam sublevarent, hi vero, multorum ingratum animum saepius experti, illud abnuerent, Limborchius commendatione sua effecit ut voti compotes dimitterentur. Idem contra a nonnullis rogatus, ut pro auctoritate sua Remonstrantibus arctiorem cum Socinianis societatem facere persuaderet, constanter id recusavit. Inprimis Daniel Wulferus, Noribergensis, circa annum 1678 strenue hoc apud Limborchium agebat, et argumenta, quae habebat satis speciosa, tam fortiter premebat, ut de ipsa Remonstrantium tamquam arce dimicare eum cogeret. Socinianos cum Remonstrantibus tantum in non fundamentalibus, quae dicuntur, dissentire ajebat; ipsum Limborchium, praeeuntibus Episcopio, Curcellaeo, aliis, hoc dare; porro illos Sacram Scripturam pro unica fidei suae norma agnoscere, itaque satisfacere legibus quas Remonstrantes posuerint iis quicum societatem inirent; atque revera admitti Socinianos ad sacram Remonstrantium synaxin; nullam igitur his esse causam sonticam cur in unam eandemque publicam ecclesiam, ut loquitur, cum

Socinianis coire vererentur; imo debere illos hoc facere, cum alioquin et sibi parum constarent et peccarent contra Jacobi praeceptum (Epist. Jac. IV, 17.); illos per pravum metum vitiosumque pudorem miseros exsules haereticosque detestatos pro fratribus agnoscere detrectare; audendum esse; palam pro veritate stare decere viros, decere Christianos. Haec et similia Wulferus, quae strictius etiam quam ab ipso factum est proposui. Contra Limborchius: nullam esse apud se aut fratres suos hominum formidinem malumve pudorem; se Socinianos pro fratribus in Christo agnoscere et publice saepe testatos esse se nolle iis anathema dicere, multorumque propterea odia et calumnias in semet excitasse; compluribus exsulibus suppetias se tulisse et amplius ferre paratos fore; velle se et debere ad synaxin suam admittere, vel etiam in perpetuam secum societatem recipere, quicunque Christo secundum Scripturam fidem haberet, etiamsi forte eadem quae Socinus de Filio Dei in Sacro Codice legere sibi videretur; at vero nec debere se nec velle nec posse cum secta Socinianorum, i. e. cum coetu Christianorum expresse profitentium se cum Socino facere, societatem coire, quippe qui hoc pacto re et facto declararent se quoque illi assentire, cum tamen nullus aut vix ullus in sua familia esset qui non graviter in rebus maximi momenti errare illum crederet; perniciosos enim se judicare Socini errores, quamvis illius asseclis anathema dicere eosque Christianorum nomine indignos pronuntiare, non praeeunte Sacro Codice, nollent; se vero nec sectam esse nec cuipiam sectae se adjungere velle; hoc sibi et fuisse semper in votis et esse etiamnunc ut Ecclesiae patriae discidium sarciretur, nolle igitur votis suis contraria facere; denique: nullam esse Christianae aut caritatis aut sinceritatis legem, qua juberentur sine ullo religionis aut Ec-

clesiae commodo martyrium novasque et graviores oppetere afflictiones pro sententia quam erroneam judicarent. Haec fere et alia ejusmodi Limborchius, cujus verissimae mihi videntur et invictae rationes. Caeterum animadversione dignum est, quod anno 1680 ad Thomam Pierce retulit Limborchius: illos qui Amstelodami Sociniani audirent et Socini placita sequerentur non tantum separatos a Remonstrantibus coetus egisse ab iisque quam maxime fuisse alienos, verum et quantum possent illorum auditores ad se allicere studuisse; quod ipsos Contra-Remonstrantes, si velint, testari posse ait. Limborchius tantum abest ut Socinianus fuerit, ut in Theologia sua Trinitarium se sit professus, attamen ex Subordinatianorum numero; quam de Christi Deitate sententiam tuitus etiam est in literarum commercio cum homine quodam Medioburgensi, qui hac in re Socinum sequebatur. Estque in universum hoc sciendum, Limborchium placita quae in Theologia sua protulit in privatis quoque ad familiares epistolis constanter profiteri, idque iisdem saepe verbis.

Superest ut dicamus de amicorum Limborchii longe praestantissimo, quem omnium maximi fecit, cuique ipse vicissim fuit dilectissimus, de Joanne Lockio. Cum caeteris ad tempus aut per intervalla commercium illi intercessit; hunc, postquam semel ipsi innotuerat, rerum suarum omnium consortem fecit, fuitque eadem in Lockio erga Limborchium voluntas, ita ut, quodcunque aut ageret aut pateretur alter, nihil a se alienum alter putaret. Caeteri quos nominavimus Seminarii Remonstrantium magistrum atque decus coluerunt; Lockius Limborchium amavit, neque doctrinam tantum et nominis celebritatem in illo miratus est, quod potissimum in Clerico fecisse videtur, sed hominem totum quantum caritate quasi fraterna amplexus est. Dolerem profecto hanc materiem, unde

multum dissertationi meae ornamenti et dignitatis accederet, majorem partem praereptam mihi esse, nisi propter angusta quibus includor spatiis sic potius existimo: bene de me actum esse atque de lectoribus meis, quod ad aliorum scripta, tamquam ad fontes uberiores, digitum queam intendere. De mutuo quo sese prosecuti sunt amore Lockius et Limborchius egit Clericus in illius Elogio, Bibl. Sel. T. VI. p. 368—376 passim, idque hujus fere verbis quibus usus est in literis ad Damar. Mashamam ineditis; literarum commercio, quod habuerunt, ornata est editio operum Lockianorum Londinensis quam supra laudavi § 1. Nec tamen integrum typis vulgatum est; nam plures aut omissae sunt epistolae aut mutilae exhibitae [1]. Servat bibliotheca Remonstrantium Amstelodamensis Lockii autographa epistolarumque Limborchii apographa ipsius manu scripta. Ex hoc itaque thesauro quaedam ante non vulgata et scitu digna cum lectoribus communicabo. Quae occasio primam fecerit notitiam et quam fuerint familiares narret nobis ipse Limborchius. Haec ille in literis ad Dam. Mashamam mox laudatis, dat. 24 Mart. 1705: »*Primum in viri illius eximii amicitiam aditum mihi conciliavit leaena, vi intensissimi frigoris mense Januario anni 1684 exstincta, cujus exta ut inspicerem invitavit me D. Guenellon Med. Doct. Inter alios spectatores aderat D. Lockius, qui cum ex D. Guenellone me esse Theologiae inter Remonstrantes professorem audiit, me com-*

---

[1] Conf. Memorab. Semin. Rem. pag. ult. in addendis. Constanter ferme omissa sunt post-scripta, quae dicuntur, tum eae fere partes quae de rebus domesticis agunt; praeterea pauca quaedam nomina aut silentur aut una tantum alteraque literula designantur. Sic Tolandus in ed. Lond. laud. p. 637 per solam literam T. indicatur. Ibid. post verba: *aliquot praestantissimi Angli* omissa sunt haec: *inter alios D. Flesher, ad me ductus per D. Furly, et D. Cunningam, nec non alii.*

pellavit, et plures mecum de religione sermones habuit; in quibus fassus est, se longe aliam deprehendere Remonstrantium doctrinam quam hactenus crediderat, seque in multis idem cum ipsis sentire miratus est. Cum ex me audisset, collationem mihi per scripta esse cum erudito Judaeo de Veritate religionis Christianae, ejus legendae facultatem a me petiit, eaque lecta considerationes suas, doctas admodum ac ingeniosas, mihi suppeditavit. Mense Decembri ejusdem anni abiit Trajectum[1]*, ubi per quinque aut sex menses satis quiete vixit. Cum vero anno* 1685*, dum adhuc Trajecti degeret, nomen illius eorum quos rex Jacobus sibi tradi postulabat catalogo additum esset, ego, jussu D. Venii, datis ad eum literis, aedes ipsius, in quibus tuto lateret, obtuli, in hospitium, nemine conscio*[2]*, deduxi, in solitudine illa saepius adii*[3]*, et horis aliquot continuis cum ipso sermones habui: literas amicorum omnes ad me mitti voluit, et per me sibi tradi, ne ullo modo honestae illius latebrae detegerentur: meae fidei testamentum suum, et alia quaedam pretiosiora credidit, nominaque proxime consanguineorum scripto tradidit, quibus, si quid ipsi humanitus eveniret, indicarem quidquid fidei meae commiserat. Mense Septembri, magnifici cujusdam hominis sollicitationibus persuasus, Cliviam concessit: sed, cum sibi tutam illic non esse commorationem deprehendit, mox inde Amstelodamum ad*

---

[1] Hac occasione literas ad J. G. Graevium commendatitias illi dedit Limborchius.

[2] Nemine, ne famulo quidem Lockii, conscio. Apparuit hoc mihi ex epistoliis ad Limborchium ineditis quae magno numero servat bibliotheca nostra.

[3] Interdum vesperi Lockius Limborchii aedes adire ausus est, seque literulis missis praenuntiare solebat ne forte in ignotum quemdam incideret.

priores suas latebras rediit [1]. *Illa hyeme in aedibus D. Venii, me solo conscio, eximiam illam de Tolerantia epistolam ad me scripsit. Postea persecutionis illo impetu defervescente e latebris suis denuo prodiit, et libere in patria nostra vixit, et cum quibusvis aperte conversatus est; et licet Roterodamum concesserit, et inde in An-*

[1] De itinere illo Clivensi plura etiam ad Mashamam retulit in literis 6 Apr. 1706 datis, ineditis, quae Clericus in Elogio suo non memoravit, ego hic addam: »Licet D. Lockius omnia amicitiae et benignitatis officia in D. Venii aedibus experiretur, tamen ingratae erant latebrae; non nisi duobus aut tribus amicis ad illum aditus patebat. Solitudinis ipsum taedere coepit, et liberiore frui aëre desiderabat. Homo quidam, Venio mihique jam olim notus, commercium per literas habuit cum Domina Hubner, matrona Clivensi, celebri admodum, quaeque multis se negotiis politicis immiscuit, et dum Cancellarius Dankelman floruit, magna in existimatione fuit. Ille, literis aliquot ultro citroque cum illa commutatis, D. Venio persuasit, tutum ac securum D. Lockio Cliviae, si eo commigraret, fore domicilium. Dissuasi ego, et mecum D. Guenellonus, Venii gener, profectionem; quia notum mihi erat hominis illius ingenium et Thrasonica jactantia, cujus magnifica erant promissa, sed quae plerumque destituta videramus successu. Ille tamen prolixe jactans literas Dominae Hubner, D. Venio, et per Venium D. Lockio persuasit, relictis omnibus suis amicis in regionem sibi ignotam abire, ut sperata frueretur libertate. Ego cum D. D. Venio et Guenellono ipsum deduxi in scapham, quae hinc Trajectum solvit, vixque a complexu illius divelli potuimus. Dedi D. Lockio literas ad amicos meos Trajectenses ac Neomagenses, quorum promptissimis officiis tuto Cliviam pervenit. Sed paucas intra hebdomadas sibi ab homine vano ac jactabundo verba data esse cognovit, quare mox inde Amstelodamum reversus, priores suas latebras repetiit et ne detegeretur nomine doctoris van der Linden appellari voluit." Tres Clivia ad Limborchium epistolas misit Lockius, quae in ed. Lond. laud. leguntur p. 593—596. Duarum priorum autographa subscripta habent pro Lockii nomine *Lamy*, tertia solas literas J. L. — Ad calcem primae epistolae addita sunt haec verba, quae in editis non comparent: »Epistolam tuam inscribas τῷ Lamy et deinde alia charta involutam sic inscribas: à Monsieur Monsieur Meyer Sécrétaire de Son Altesse Electorale de Brandenburg à Cleve."

gliam, arctissimam tamen ab illo tempore coluimus amicitiam. Epistolas a me pro familiaritate nostra ad ipsum scriptas, si mei arbitrii forent, tuae fidei commissae fuissent, nunc quoniam audio D. King, antea mihi prorsus ignotum, esse virum egregium ac literatum, ipseque eas se fideliter asservaturum recepit, in illius fide securus ero." Caetera de Limborchii cum Lockio commercio ex utriusque literis editis optime cognoscuntur; pauca tantum ex non editis addam. Notum est Philosophum celeberrimum, Limborchio interveniente, cum viro quodam amplissimo disputasse de argumentis pro unitate Dei (vid. ed. Lond. Opp. Lock. laud. l. laud. p. 623—634); at quis ille fuerit hactenus credo ignoratum fuit; certe ex editis literis non apparet. Scilicet in epistola Limborchii quae legitur l. laud. p. 625 sq., in ipso initio, omissa sunt haec verba: »*Ut aperte tecum agam, qui argumenta tua de quaestione proposita videre desiderat, est honoratissimus Consul civitatis nostrae D. Hudde* [1]." Item in literis Limborchii quae leguntur ibid. p. 636 quaedam desiderantur de disputationis illius exitu. Lockius rogarat ut vir amplissimus suam unitatem Dei adstruendi methodum cum ipso vellet communicare (vid. ibid. p. 634). Refert igitur Limborchius se cum viro Cl. Voldero, qui forte supervenisset, virum illum adiisse et literas Lockianas ei ostendisse; hunc vero, alios quosdam adesse et negotiis se distineri causatum, responsum distulisse; sibi jam videri Volderum rem acu tetigisse, qui crediderit: virum magnificum omnes suas rationes jam aperuisse, aliudque nihil habere quod suggereret, verum id dissimulare. — In eadem

---

[1] Varia et perfecta Joannis Huddii eruditio et aliis laudata est et memoriae prodita a Wagenario in: Beschrijving van Amsterdam, Deel VI, B. 3. bladz. 238 volg. Fol.

illa, de qua dicimus, Limborchii epistola in ipsa fronte laudatur vir quidam eruditissimus, qui literas Lockii Limborchio tradiderit. Fuit is Samuel Crellius, quem Lockio commendarat Limborchius; literae vero quibus id fecit, uti et Lockii responsum, integrae in ed. illa omissae sunt. Haec Lockius 5 Mart. 1699 de Crellio rescripsit: »*tam fidus literarum tuarum lator non debet vacuus ad te redire, nec sine curae suae testimonio, ut tu illi eas reddas gratias, quas ego satis digne pro merito suo solvere non possum. Attulit ipse mihi hic* [in vico Oates] *rusticanti epistolam quam manibus suis concrederas, et tridui insuper consuetudinem nobis efflagitantibus concessit vir eruditus et modestus, reliquitque abiens Dnae Masham reliquisque nostris magnum sui desiderium. Gratias tibi ago quod tuo beneficio mihi notus sit, optaremque viciniorem. Quanquam enim per omnia cum illo non sentiam, aliquid tamen semper disco ex viris qui sua utuntur ratione, suo sensu, non aliorum dogmatibus innixi nec cujusvis magistri in verba jurantes.*" Hunc igitur Socini asseclam Lockio commendavit Limborchius. Huic contra ille Pembrokiae comitem. Epistolium reperi Lockii ineditum, datum 7 Jun. 1689: »*vir amplissime, etsi ego eadem usus occasione heri ad te scripsi* [vid. l. laud. p. 604], *jam iterum te saluto. Facta enim tui mentione comes Pembrokiensis, Legatus Regis nostri extraordinarius, te, cum apud vos fuerit, videre et alloqui cupit. Rogo igitur ut data occasione illum invisere velis, virum plane eruditum et bonarum artium studiosum, et viris doctis probisque amicum. Si meo nomine eum adeas, qua in me est benignitate, facilem reperies aditum, praesertim si illum qui ei a secretis est primum convenias. Haec ego ipso discedente raptim scripsi, ut ipsa haec charta te docebit, quam ut poteram arripui. Vale et me ut facis ama tui*

studiosissimum J. Locke." Addit: »*Parum abfuit quin ego una ad vos rediissem. Sed impedierunt me quaedam necessaria, quae me hic invitum detinuerunt.*" In literis quas 30 Sept. 1689 rescripsit Limborchius, itidem ineditis, refert se Legatum visisse, comiter fuisse exceptum et colloquio, quod cum illo habuerit satis prolixum, mirifice se esse delectatum. »*Illud*, inquit, *tibi certo affirmare possum, nunquam quousque mea fert memoria, huc appulisse Legatum a quocunque Rege aut Rep.*, *cujus tam consentientibus omnium cujuscunque conditionis elogiis depraedicarentur virtutes.*" Comiti Shaftesburiensi quoque per Lockium innotuisse videtur Limborchius; idem literarum commercium cum Dam. Mashama illi conciliavit. Amicitia qua par illud virorum, quibus pauci et ipsorum et omni aetate pares reperti sunt, conjunctum fuit, per viginti annos duravit; tum morte interrupta est. Postremae Lockii epistolae, quae 4to Aug. die 1704 data est, haec subscripsit Limborchius: *obiit D. Joannes Locke 28 Octob. stylo Angliae, stylo vero nostro 8 Nov. 1704, die Saturni, hora tertia pomeridiana*[1].

§ 6. *Limborchii indoles et vita privata.*

Exposuimus de Limborchii fatis factisque, quae quidem memoratu digna visa sunt, plerisque, et quo loco ab aequalibus suis amicisque habitus fuerit descripsimus; neque in aliquam offendimus quae nos diu detineret difficultatem. Ubi vero ad hominem interius cognoscendum progredi cupimus, viam satis arduam impeditamque ex-

---

[1] Literas Lockii non editas, praeter illas quarum mentionem jam feci, inter Limborchii κειμήλια reperi non paucas. Unam epistolam edidi in Append. D. 4.

perimur. Namque ut taceam de vita domestica pauca admodum memoriae tradi solere, quantum abest ut hominem intelligamus cujus duntaxat res tam publicas quam privatas cognoverimus, aut qualis in hominum luce versatus fuerit, dum intima animi ejus consilia obscurosque motus ignoramus. *Τίς δὲ οἶδεν τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ;* — Atque cum vitia prorsus dissimulare penitusque abscondere sit difficillimum, optima praesertim quaeque latere amant, nisi quando rerum vicissitudinibus commotior animus secreta sua pandat, virtutemque, Deo dudum probatam, strenue res magnas gerendo aut ferendo fortiter adversas terris quoque faciat manifestam. Valent haec quae dixi cuncta atque singula ferme de Limborchio, idque eo magis quo difficilius varia quam expertus est fortuna graviter se commoveri passus sit, ita ut ipsa in omni vita aequabilitas unicum vel praecipuum certe in illo fuerit animi integri et vere Christiani indicium. Indolem habebat eam quam in gente nostra ridere amat vicinorum nostrorum levitas, nos in majoribus praecipue nostris veneramur, quaeque phlegmatica dici consuevit, nescio num satis apto nomine. At de voce non contendam; dummodo res recte intelligatur. Itaque in Limborchio cogitanda est gravitas, est festinatio lenta propositique tenax, vis animi placida neque ob levissimas causas tamquam foras prorumpens, invicta tamen et nullis facile cedens difficultatibus. Et haec quidem cum multis communia illi erant; alias habebat sibi proprias rarioresque animi dotes. Clericus in eo laudat cum summo conjunctam candore humanitatem summam, qua neminem verbis inconsideratis laederet; porro mansuetudinem, qua recte monenti aut male etiam oblatranti cederet facile; temperantiam quoque, qua factum ut sanam sano in corpore mentem ad provectam us-

que aetatem conservarit [1]. Et profecto ἐγκράτειαν illam, uti tota ejus vita testatur, sic animi speculum facies declarat, in qua nihil immoderatum, contortum nihil, nulla prae caeteris pars nimium prominens, contra aequabilis lineamentorum conformatio [2]; arguit sermo quoque, placidus ille lenisque, neque nervis destitutus, neque brevitate obscurus. Eadem erat mentis virtus, in qua ex tribus illis quae in viris doctis et sapientibus laudantur, ingenium dico, judicium, memoriam, nullum ita dominabatur ut vel judicium ingenii vis celeritate praeverteret, vel ingenii aciem cunctatione obtunderet judicium, vel

[1] Paquot, l. laud. p. 435: »Jean le Clerc, inquit, vous le représente comme un homme d'un caractère franc et sincère, civil, doux, grave ou gai selon les rencontres, peu entêté de ses sentimens, et chéri de tous ceux qui le connoissoient; je ne sais si les Contre-Remontrans auroient convenu de ce portrait.'' Neque ego scio; quid vero umquam fecerit dixeritve Limborchius de quo jure queri possent non video. Igitur criminationem paullo magis definitam testatamque exspecto.

[2] Imaginis Limborchii delineationes tres vidi, quarum prima tertiae Theologiae Christianae editioni, quintae praefixa est altera. Sunt sibi perquam similes, nisi quod in priore, quae de vivo expressa est cum annum ageret primum supra sexagesimum, senectute quadam fere juvenili nitet facies, quae in altera, septemdecim annos post facta, rugis cessit et bene decenti senem gravitati. Utramque pinxit D. v. d. Plaats, sculpsit P. v. Gunst, epigrammate ornavit C. Brandtius:

Sic foecunda Deo Limborgl cernimus ora,
Talis Episcopii vivit in aere nepos;
Quo duce Romanae patuere Tyrannidis artes;
Abramidumque silet, victa pudore, domus;
Ingenii qui grande decus, devotaque paci
Pectora qui chartis pandit ubique suis.

Tertia praefixa est Limborchii Commentariis Roterod. 1711 in fol., picta ab H. v. Limborch, anno itidem 1711. In hac quoque eandem faciem, quamquam ab alia manu diversa paullulum ratione expressam, nemo non agnoscet. Pictura faciem Limborchii exhibens suspensa est in conclavi synedrii ecclesiae Remonstrantium Amstelodamensis.

nimia copia onerata magis quam ornata memoria utrumque impediret; amice potius in illo conspirabant omnia ad egregiam quandam dicendi vivendique prudentiam, quae quam eximia eruditio et rarior invenitur et multo est praestantior. Tot tantasque animi mentisque dotes singularis commendabat modestia. Si de re in Ecclesia aut inter Theologos aut in vita communi controversa coram ipso agebatur non raro dicebat, velle se aliorum de ea sententiam audire quam suam proferre. Summa in eo erat et minime fucata omnium caritas; omnem vitam componere studebat ad praeclarum illud Jesu praeceptum, in cujus laudibus satis sibi facere non poterat: *Quidquid ab hominibus tibi fieri velis, id illis tu feceris.* Talis versabatur cum familia sua, cum discipulis, amicis, civibus, inimicis, quos postremos ita habuit ut ipse tamen nullum oderit hominem, quamquam multorum vitia dolens, intolerantiam praesertim. Si quid erat quod iniquius ferret et vix toleraret ipse, hoc erat: homunciones, eosque Christianos, eo progredi temeritatis, ut propter diversam obscurorum quorumdam Sacri Codicis locorum dogmatumve intelligentiam Christianum nomen sibi invicem abjudicarent. Christus, ajebat, non orthodoxia illa, quam jactatis, sed mutua caritate discipulos suos dignosci voluit. Non tamen verum parvipendebat aut non omni dignum censebat studio. Ipse numquam dissimulavit Arminii quam Gomari sententiam sibi veriorem videri, et Clericum, qui aliquando ne fratres offenderet dissimulare illud voluit[1], jussit ut rogatus animi sententiam profiteretur. Attamen credebat, quae erat hominis opinio mira sane et Christiana magis quam orthodoxa, posse qui de talibus dissentirent de fundamento tamen religionis Chris-

---

[1] Conf. Specimen meum de Clerico p. 35.

tianae consentire, atque fratres in Christo ejusdemque Ecclesiae socios esse posse.

Anno 1660, aetatis vigesimo septimo exacto, uxorem duxit Elisabetham van Sorgen, ex qua filiam suscepit unicam anno 1662. Occupatus tum erat in curanda alterius Operum Episcopii voluminis editione. Hinc Poelenburgius in literis circa id tempus ad Limborchium datis: »*tu*, inquit, *bifariam diligens ac dives nobis et libros et liberos progignis. Euge mi Philippe et nobis Alexandrum aliquem largire, qui magni viri cujus nunc opus sub praelo sudat, eruditionem adaequet. Sed hoc non tam est humanae virtutis quam benedictionis divinae, quae propterea nobis exambienda. Nunc precor, ut haec filiola Elisabethae illius, cujus nomen habet, facta imitetur ac si fieri queat superet. Precor, inquam, ut hae vobis primitiae sint sanctae in Domino.*" Brevi post gaudium luctus excepit. Anno jam 1664 uxoris dilectissimae funera fecit. Hac prima clade fides ejus tentata est et probata. »*Gratia sit*" quae scripsit ad amicum quemdam »*Deo Patri misericordiarum, qui me ita Spiritu suo sustentavit, ut non doluerim ultra quam fas est illi, qui a Christo Servatore mortem debellatam et introitum esse melioris vitae certissime persuasus est. Illa spe omnes doloris ingruentis aculeos devici; et quam oculis non licet intueri, illam mihi fide sed in statu longe meliori praesentem visto.*" Decimo post anno secundis nuptiis vitae sociam sibi adjunxit Corneliam van der Kerk, ex quo geminam habuit prolem. Inde novis conflictatus est aerumnis. Filia ex priori matrimonio superstes annum agens sextum decimum morte patri erepta est; circa idem tempus uxor letali afflicta jacebat morbo, ex quo vix tandem respiravit; infantes quoque, quamquam levius, aegrotabant; accessit sororis carissimae mors. Ipsi passim plethora molestiam faciebat.

Filius mercaturam exercuit, sed parum feliciter, ita quidem ut tandem res ejus afflictae patria eum cedere et in Angliam trajicere cogerent, ubi Lockius et Damaris Mashama quam essent patris studiosissimi beneficiis in filium collatis ostenderunt. Lectu sunt dignissimae epistolae quas ad utrumque, praecipue vero ad Mashamam, de tam caro capite scripsit Limborchius, quasque ab illis mutuas accepit. Quamquam, quae non sunt viri praestantissimi literae? Aliquot reperi anno 1672 ad familiares scriptas cum de patriae salute desperandum videbatur. Quam calamitatem publicam Limborchio augebat metus, isque non omnino vanus, ne Contra-Remonstrantium antistites ea abuterentur ad plebem in adversarios suos excitandam. Attamen virum se praestitit et Christianum. Audiamus ipsum haec ad amicos suos in Anglia nuntiantem: „*Miseranda sane est conditio nostra: pessum imus, non sensim et gradatim, sed subito quasi submergimur. Attoniti stamus, totumque orbem cum stupore casum nostrum audire credo. Unico die castra et oppida munitissima propugnatorum sive perfidia sive ignavia traduntur, quibus expugnandis olim totae aestates insumtae sunt. Tres provinciae, Gelria nimirum, Ultrajectum et Transisalana a Rege Galliae occupatae, seu potius perfide aut ignave traditae sunt. Unicum Neomagum per mensis integri spatium vim hostilem fortiter sustinuit. In Hollandiam nulla hactenus irruptio facta est; sed nec ea facile fieri potest; omnes enim agri aquis marinis inundati sunt; eminent solummodo viae angustae, quarum omnes aditus milite ac munitionibus obstructi sunt. Interim undique nos arma circumsonant. Qui Gallorum nobis proximi sunt Nardam oppidulum occuparunt, trium circiter horarum spatio Amstelodamo distans. Ecclesiae nostrae hactenus, pro temporum ratione, sic satis in tranquillo sunt statu; sed for-*

tasse graviora instant tempora: aliquid mihi animus praesagit mali. Ego animum adversus quaevis adversa obfirmo, paratus Deum quo me vocat sequi. Libertate, patria, opibus, quantulaecunque sint, imo vita ipsa spolient nos homines; non tamen bonam conscientiam et in Deum fiduciam, vera et unica nostra bona, eripient. Christi servus qui est, veram libertatem est assecutus. Exilium non metuit, cui patria coelum est. Paupertas eum non opprimit, qui thesauros aeternos in coelo habet reconditos. Nec mors extimescenda illi, cui τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. Interim, nisi Deus avertat, brevi ea instare video tempora, quibus omnia haec nobis subeunda erunt. Non tamen fiduciam in divinum auxilium abjicio. Eae enim nobis adhuc supersunt vires, quibus, Deo conatibus nostris adspirante, sub auspiciis celsissimi principis Arausiaci, in quem unanimi D. D. Ordinum consensu, et admirabili populi applausu omnes praedecessorum suorum dignitates collatae sunt, omnem in nos vim ingruentem repellere possimus. Ecclesiis vero nostris, qualiscunque tandem belli hujus exitus sit, grave certamen adversus quamvis persecutionem prae foribus video. Sed in omnibus hisce superare speramus per eum qui dilexit nos; nam neque mors, neque vita, neque creatura ulla separare nos poterit a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. Deo ardentibus precibus nos commendamus, oramusque ut nostri in sanctis precibus vestris memores sitis. Haec adversa mentem aliquatenus obnubilare, ne studiis ac meditationibus totam se dedat, facile cognoscis. Quamquam, Deo sit gratia, ita animum meum divina ejus gratia obfirmatum sentio, ut ab omnibus quae me angere possint, eum ita avocem, ut studiis sacris vacare possit."
Similia initio anni sequentis ad Engelb. ab Engelen, V. D. M. apud Remonstrantes Trajectinos, scripsit (cujus ta-

men epistolae ad illum mittendae occasio defuisse videtur): »*Praesidium humanum fallax est. Homines caro sunt non spiritus. Deo domum non custodiente frustra vigilant vigiles. Vereor ne aquae secundo congelatae Gallos ad invadendam Hollandiam denuo invitent. Verum haec Deo, qui nuper nobis non vigilantibus, imo occasionem pulcherrimam negligentibus, non sine miraculo hostes repulit, committenda sunt. Video me sine ullo fructu sollicitum quando res patriae considero. Nihil ego ad ejus restitutionem quam inania suspiria confero. Aliorum audire sermones saepe tutum non est: sine periculo non audiuntur, multo minus approbantur aut refelluntur. Itaque tacitus ego soleo quae usui mihi esse possunt considerare, et quoniam aliis Reip. gubernacula commissa sunt, ego meipsum examinare studeo, et a scelere integrum, quantum in me, conservare, ut Deo non ingratus sim. Fortasse omnes hosce tumultus brevi Deus componet, ubi nos plagis suis ad saniorem mentem revocarit. Quod ut fiat, oro.*" Vota pia rata fecit Deus. Fortissimo principe Arausiaco duce res nostra restituta fuit, quique tantum non debellati prorsus et deleti videbamur paucos annos post vicino populo salutis auctores fuimus. Guilielmus ille Magnus, Europae sospitator, in Angliam trajicit, contumaces factiones domat, regnum atque Ecclesiam pacat. Suspenso animo, ut ipse ad Burnetum scripsit, gloriosissimae expeditionis successum exspectavit, de felicissimo eventu effuse laetatus est Limborchius, praesertim quoniam sperabat hac occasione libertatis et tolerantiae in Ecclesia causam insigniter promotum iri.

Et haec quidem praecipua sunt quae de Limborchii rebus domesticis et indole dicenda habeam. Quae si lectoribus justo pauciora videantur, cogitent me viri celeberrimi vitam enarrare, non fingere.

§ 7. *Limborchii Theologia Christiana.*

Ex illis quae hucusque disputavimus colligo: unice aptum fuisse inter aequales suos Limborchium ad Theologiam Christianam ex Remonstrantium sententia conscribendam. In illo enim conjuncta erant omnia quae ad tale opus aut requiruntur necessario aut commoda sunt atque utilia. Theologum Christianum faciunt sensus Christianus, praxis Christiana, gnosis Christiana. His, quae necessaria sunt, Limborchium excelluisse ostendimus (§ 2, 6). Commendat Theologum si cum coetu quodam Christiano arcte conjunctus degat, praesertim si sancti Ministerii usum habeat, quae fuit Limborchii felicitas (§ 3). Porro, cum aliter fieri nequeat quin Evangelium, quamvis per se omnibus idem sit ac totum quantum omnium fide dignissimum, quatenus intelligitur varie intelligatur a variis, cumque nemo solus omne verum videat sed partem veri pro suo quisque modulo, de illo optime sperandum est qui uni Christo, quem ex Evangelistarum Apostolorumque scriptis cognoscimus, se obstrinxerit, ita quidem ut neminem auscultare nolit, ne forte, si quis Christi mentem in nonnullis rectius prae aliis ceperit, hujus beneficii divini particeps fieri recuset. Talis, quales aevo isto pauci erant admodum, fuit ex Remonstrantium familia et liberae illorum sententiae addictissimus Episcopii nepos, Limborchius (§ 2, 3). Deinde Theologum Christianum ingenio et exercitatione ad docendum aptum esse oportet; Limborchius utramque et indolis bonitatem et diuturnam consuetudinem ad hoc opus attulit (§ 4, 6). Denique doctrinam commendat docentis quaedam absque supercilio dignitas, et apud docendos auctoritas; qualem in Germania, Gallia, Belgio, Anglia praesertim, multi doctissimi ac primi ordinis in Ecclesia viri Limborchio

tribuebant (§ 5). Quod igitur Episcopius inceperat, et persecutus erat Curcellaeus, hic, rebus pacatioribus usus, atque ab Academiae Cantabrigiensis doctoribus societatisque Remonstrantium antistitibus invitatus, suscepit bonis avibus perfecitque feliciter.

Limborchius in literis ad Allixium, anno 1683 datis: »*Societatis*, inquit, *nostrae rogatu Institutionem conscripsi Theologiae.*" Imo Academiae Cantabrigiensis rogatu, licet facile credam consilium illud Remonstrantium societati perquam placuisse et gratum fuisse; itaque modestius quam verius rem proposuit Limborchius. Scilicet anno jam 1669 professores Cantabrigienses fratri Limborchii, qui tum in Anglia peregrinabatur, instituerunt, ut is a fratre Philippo, ipsorum nomine, breve quoddam Theologiae systema efflagitaret, in quo fundamenta religionis Christianae secundum Remonstrantium sententiam in tironum usum traderentur. Paullo ante Paulus Verrinus literas acceperat a Jenkèsio, qui cum nondum ipsi Limborchio innotuisset, hunc ejus amicum atque cognatum jubebat pro virili illum urgere ut systema aliquod Theologiae nec nimis breve nec nimis prolixum in lucem emitteret. »*Non deerunt ipsi*, inquit, *in negotio isto fautores et Maecenates, causa siquidem religionis Christianae agitur; et quis novit quem fructum, quae commoda non possent exinde reportare posteri nostri et qui nascentur ab illis? Macte sit vir ille egregius virtute et doctrina sua, qua instructus et insignitus est: accingat se cum ardore animi ad illud quicquid est operae et laboris; nec dubitet, quin Deus ter. Opt. Max. conatus ejus sit ita feliciter recturus, ut optatum suum effectum et finem sortiantur.*" Similia circa idem tempus Limborchium hortatus est Henricus Morus. Rescripsit ille ad viros doct. Brightium et Burnetum, illum in Emanuelis,

hunc tum quidem in Christi collegio socium: nimium fere honoris hoc sibi videri, et vero oneris quoque nimium; ideoque aliquamdiu suspensum se haesisse; velle tamen, quoniam instanter id flagitarent, divino fretum auxilio, opus illud aggredi; modo quale sibi cuperent systema doctores Cantabrigienses accuratius et plenius ipsum docerent. Itaque anno sequenti literas accepit a Jenkesio et Olivario Doiley, socio in collegio Regio, quibus quid sibi vellent disertius exponunt atque exempli loco, quoad modulum et mensuram eorum quae tractarentur, Wendelini systema, quale forma minori prodierat, designant; simul rogant ut Curcellaei Institutiones ad finem perducat edatque, ut sic juvenes Angli duplicem habeant, alteram compendiosam, ampliorem alteram, Theologiae Institutionem. Revera anno 1677 ad Dan. Wulferum retulit Limborchius breviores se concinnare Institutiones Theologicas, quae intra biennium prodituræ essent; Curcellaei vero opus ad finem perducere se detrectare, tum quod viribus suis diffidat, tum quoniam suus cuique sit locos Theologicos tractandi atque omnino dicendi genius. Sensim tamen opus Limborchianum in majorem molem excrescebat, cum praesertim Angli plenam eorum omnium in quibus Remonstrantium doctores illustres a caeteris Reformatis diversi abire dicerentur expositionem postularent. Ipsi Jenkesius quoque et Doiley plura semper flagitabant, quibus Thomas Pierce, professor Oxoniensis, suffragabatur. Interim crescebat in dies operis multum desiderati et antequam natum erat celeberrimi exspectatio. Pierce: »*gratulor studiosis*, inquit, *Theologiae purae candidatis Syntagma illud Theologicum quod in te recipis concinnandum.*" Jenkesius: »*volupe mihi sane est percipere te totis viribus in id incumbere ut brevi habeat juventus nostra Academica institutionem religionis Christianae.*" — »*Mul-*

ti, qui jam subolfecerunt te tale quid in animo habere edendum, sciscitantur meque subinde rogant: ecquando tandem prodibit opus illud ut desideratissimum ita et utilissimum toti Ecclesiae Christianorum? Age sis, vir erudite, verbo expedias, meque certum reddas quid exspectandum habeant hi boni viri, quidve ipsis dicendum sit in aurem si pergant denuo hoc nomine me interpellare." — »*In dies nunc exspectamus Theologiam tuam Christianam, non equidem novam, sed antiquam illam a Christo et Apostolicis viris deductam, tuo vero summo labore et egregio studio explicatam stabilitamque in usum eorum qui sinceram veritatem sine fuco amant in pace altissima sine ullis rixis aut vanis contentionibus. Multum tibi hoc nomine debebit juventus nostra Academica. Dabo operam ut non tantum praeclarum illud opus tuum legant et relegant sed etiam in succum et sanguinem vertant, quoad doctiores et meliores evadant."* Similia alii viri docti ex Anglia, atque ex Germania et Gallia nonnulli. Vir doctus Noribergensis, Joh. Conr. Feuerlinus, qui ex Limborchio audierat Germanos quoque Theologos perlustrare ipsum in animo habere et cum suis placitis illorum systemata componere velle, libros hunc in usum ad eum misit. Limborchius prae caeteris Chemnitium versasse videtur. Ex Contra-Remonstrantibus praesertim Guil. Amesii Antisynodalia refutanda sibi sumserat. Anno 1683 opus ad finem perductum fuit; post triennium in lucem prodiit in 4to. Ecclesiae Anglicanae illud dedicare voluit auctor; verum circa id tempus Socinianismi suspicio multorum Episcoporum animos a Remonstrantibus alienarat (Conf. § 5, init.); itaque quod absque dignitatis suae et Societatis periculo facere non potuit satius illi visum est omittere. Magno tamen cum gaudio atque plausu ab amicis Limborchii, inprimis a professoribus Cantabrigiensibus, acceptum

fuit. Jenkesius plane exsultabat; seque per omnia calculum illi adjicere, eadem cum illo probare atque improbare, nihilque prorsus repertum sibi esse in quo dissentiret, plus semel significabat. Caeteris nonnulla quidem minus adridebant; atque aliis ut fit in aliis, Thomae Pierce v. c. in loco de Trinitate, minus orthodoxus videbatur Limborchius; ita tamen et hic et reliqui quaedam in libro improbabant, ut ipse dissensus laudis sinceritatem potius evincere quam aliquid ab ea detrahere videretur. Cudworthii, Mori, Spenceri [1], aliorum encomia, si describere vellem, plures facile mihi occuparent paginas. Tam avide exemplaria distrahebantur ut bibliopolae omnium desiderio vix et ne vix quidem satisfacere possent. Post paucos annos rogatus est Limborchius ut bona cum sua venia opus recuderetur Londini; utrum vero Latine recusum sit definire non ausim. In linguam Anglicam versum est, teste Clerico in Bibl. Sel. T. XXIV. p. 357. Belgice quoque prodiit Amstelod. 1701, quam versionem confecit Casparus Dankerts, idem ille qui carmine Latino Theologiam Limborchii ornare et commendare studuit. Latine Amstelodami quinquies repetitum

[1] Spencerus inter alia haec scripsit, Cantabr. Julii 29, 1686: »In opere tuo methodum aptam, judicium mature liberum, brevitatem perspicuam, refutationes amicas, textus obscuriores (uti sponsi oculos) lacte quasi lotos et apte positos, non potui non admirari. Nec possum stylum tuum illaudatum praeterire, qui tam vividus et apertus est, simplex etiam et ab eruditionis affectatae specie alienus, ut inde scripta tua vetera Dei Sacra, quibus multum salis inerat mellis autem nihil, referre videantur. Haec ego testis oculatus eloquor, majora longe de te dicturus, si tibi ex fama et ut testis auritus testimonium perhiberem. Tunc enim verba illa Apocalyptica de te liceret usurpare: Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam, et opera tua novissima plura prioribus,« etc.

est in fol., annis 1694 [1], 1700, 1715, 1730 et 1735 [2]. Editio altera paucis locis priore auctior et emendatior est; praecipuae accessiones sunt illorum quae contra Balth. Bekkerum disputavit Limborchius Lib. II, cap 20, § 25 sq., et quae explicationi suae Ps. LI, 7 adjecit Lib. III, cap. 4, § 16. Haec Gilb. Burneto se debere fatetur in literis ad illum datis ineditis. Editioni quartae »ab auctore recognitae et auctae" (haec Cattenburchius in Biblioth. Script. Rem. p. 102) accessit Relatio Historica de origine et progressu Controversiarum in foederato Belgio de praedestinatione, tractatus postumus, qui etiam Belgice versus prodiit Amstelodami, 1715 in 8vo. Editionibus quartae et quintae, quarum posteriore usus sum adhibita etiam tertia, orationem funebrem in obitum Limborchii praemisit Clericus, adjecto fragmento carminis Grotiani in mortem Arminii.

Limborchius in literis ad Cudworthium, prid. Kal. Sept. 1687 missis: »*Multi etiam*, inquit, *qui nobiscum non sentiunt, benignius de mea Theologia judicium mihi ultro aperuerunt, et maxime sibi placere librum quintum de virtutibus Christianis, et locorum Theologiae ad praxin pietatis applicationem, ingenue testati sunt.*" Multos in Germania quoque amicos et fautores nactum est Limborchii opus; complures ad auctorem missae sunt ex illa regione epistolae, quibus aut assensum suum significabant lectores aut de nonnullis dubia movebant. Neque acres defuere censurae. Anno jam 1687 ad Olivarium Doiley

---

[1] Hoc ex literis Limborchii ad amicos Anglos mihi apparuit. Prae se fert haec editio annum 1695.

[2] Postremam haud editionem laudat Stäudlin, Gesch. der Theol. Wiss. Gött. 1810. 1ster Th. S. 304. Theologiam Christianam Limborchii anno 1735 Basileae prodiisse memorat Ypey, Gesch. der Systemat. Godgeleerdheid, Derde Deel, bladz. 314, qui contra nullam facit editionis postremae Amstelodamensis mentionem.

retulit Limborchius iniquis quorumdam criminationibus se peti, plurium quidem inter Contra-Remonstrantes moderatiora de sua Theologia judicia se audivisse, alios vero calamum in illam stringere, inque Academia Leidensi virum magni nominis illius refutationem editurum; se vero non facile in disputandi campum pertractum et a melioribus studiis avocatum iri. Porro literas reperi Danielis Hartnaccii, Rectoris scholae illustris Slesvicensis, anno 1693 ad Limborchium datas, quibus hunc certiorem facit falsum esse rumorem qui ferebat Theologum quemdam Holsatianum Theologiam Christianam refutasse; adhuc certe non nisi in privatis lectionibus de illa agere Theologiae doctores [1]. Anno tamen sequenti Kilonii in 4to prodiere Christoph. Franckii Exercitationes Anti-Limborchianae etc [2]. Eodem anno homines quosdam Oxonienses Theologiae Limborchianae condemnationem molitos esse, verum ab aliis moderatioris ingenii viris illorum conamina fuisse repressa, ex literis Limborchii ad Rich. Kidderum, Episcopum Bathoniensem ac Wellensem, mihi apparuit [3]; qui nihil se hac de re inaudivisse respondit. Anno 1695, 25 Novemb. die, haec ad eundem scripsit Limborchius: «*Quod de Oxoniensibus nihil audiveris mihi pergratum est: inde enim colligo conatus illos statim in herba op-*

[1] Addit in fine epistolae: »Eine Disputation de Imputatione Justitiae Christi des Hrn. Professor Franckens ist im Druck heraus; weiter noch nichts. Derselbe hat auch in quarto contra Exercitationes Wendelinianas geschrieben, welches bekand seyn wird."

[2] Conf. Buddei Isag. Hist.-Theol. p. 379, et Act. Erud. Lips. Mensis Septembr. 1694.

[3] Addit: »credunt alii non tam odio mei eos id molitos, quam ut aegre faciant viro meritissimo, et nunc in Domino beate quiescenti, qui cum odio ipsorum major esset, eos quicquid contra ipsum conceperant in me ob dedicatam illi Inquisitionis historiam voluisse evomere." Joannem Tillotsonum, Archi-Episcopum Cantuariensem, intelligit.

pressos: neque ego quicquam de iis ulterius inquiram. Ignorare enim malo, et aeternum esse sepulta, quae, si palam fiant, mihi non possent non esse summe ingrata, quaeque tamen condonare officii mei foret."

Miror adversarios Limborchii et tam paucos fuisse et tam sero et quasi cunctanter in eum surrexisse. Enimvero non absque periculo erat virum doctrina, judicio, acumine tantopere excellentem infestare; atque sibi consuluissent, credo, pauci illi si tacuissent omnino. Animadvertendum quoque est Limborchium, pro ingenio suo, ab odiosa hominum et personarum insectatione abstinuisse, et ita nonnullorum sententias refutasse ut ipsorum famae, quantum fieri posset, parceret, cujus alioquin detrimentum aut opinata laesio maximarum et citissime excandescentium irarum causa esse solet. In paucis illis quos notavit Limborchius fuit Franciscus Burmannus, celeberrimus in Academia Trajectina Theologiae professor, quem in Synopsi sua locum de Omnipotentia Dei plane ex Spinozae sententia atque ipsis passim Spinozae verbis tractasse observat[1]. Duodecimo post primam Theologiae Christianae editionem anno Joannes Waeyenus, cui stomachum moverat quod Limborchius pro Clerico in controversia cum professore Franequerano stare se velle significarat, Burmanni vindicias suscepit falsique insimulavit Limborchium, in Dissertatione de λόγῳ contra J. Clericum p. 175 sqq. Limborchius defensionem paravit atque edi-

[1] Sciendum est Burmannum in Synopsi illa multos Remonstrantibus adfinxisse errores; eaque de re literis privatim missis cum eo expostulasse Limborchium, annis 1671 et 1672. Non idcirco crediderim hunc injuriam ulciscendi occasionem quaesivisse. Nihil enim aut acerbius in Burmannum dixit aut praeter verum, atque Spinozismum tantopere aversabatur, ut peculiarem cur illum in Burmanni opere notarit causam excogitare minime opus sit.

dit [1], amicorum consilio rogatuque, quamvis suo reluctante genio, uti scripsit ad Gilb. Burnetum. Lectu sunt dignissima quae in Defensione illa § 1—7 disputat de caussis quibus ad scribendum se permoveri passus sit; atque omnino magnam meruit, me judice, hoc scripto modestiae et aequitatis animique vere Christiani laudem. Plane adsentior Richardo Kiddero, qui in literis initio anni 1699 ad Limborchium datis: »una, inquit, *miror adversarii tui ἀναίδειαν tuamque singularem animi moderationem.*" Rescripsit Limborchius: »*Multi ex illis qui hic Coccejani appellantur, e quorum numero et ipse est, uno ore sibi displicere ajunt, quod me atroci sua criminatione ad scribendum compulerit, et hac ratione famae Burmanni minus consuluerit, Voetiani vero gratulantur vapulanti. Ego me materia adeo indigna a melioribus studiis (quamquam paucorum tantum dierum labor fuerit) avocatum doleo.*" Waeyenus Burmanni filios in Limborchium excitavit, nec quievit donec prodierit *Burmannorum Pietas* [2].

---

[1] Amstelod. 1699, aut potius 1698, in 8vo; repetita etiam est ad calcem edit. tertiae Theologiae Christianae.

[2] Conf. Saxi Onom. T. VI, p. 12. Haec de illo libro ad Lockium scripsit Limborchius (Familiar letters etc. l. laud. p. 645): »Tandem prodiit contra me *Burmannorum pietas*; is libri titulus est: mole ingens, verbosus, contumeliosis plurimis declamationibus et invectivis refertus. Illi mihi pietatis suae exemplar tradi voluerunt. Legi eam sed cum nausea; et nisi in me scriptus fuisset liber lectionem absolvere non potuissem. Ego illi libro nihil reponam, praesertim cum ob molem suam non distrahatur et a nemine legatur.

Versiculos in me narratur scribere Cinna:
Non scribit, cujus carmina nemo legit."

In literis ad Sam. Crellium scribit se quaerere velle ex Waeyeno, quoniam ipse contendat Burmannum quaedam scripsisse quoad sonum verborum similia illis quae Spinoza habet, longe tamen alio sensu ea verba usurpasse quam Spinozam; Burmanni vero filii, parentem suum illa eodem

Ipse Defensionis Limborchianae dissolutionem edidit, quae tamen huic ita dissoluta visa est ut nihil ei reponere decreverit.

Haec de Theologiae Christianae historia literaria sufficiant; de ejus indole et praestantia agetur in altera Dissertationis parte. Verbo addam Cattenburghium Theologiae Limborchianae Spicilegium edidisse messe majus (Amstelod. 1726, in fol. pagg. plus quam 1100), in quo Ethicam praesertim et Asceticam longe uberius tradit quam a Limborchio factum erat; atque decessoris operam hic illic defendit contra ea quae Franckius objecerat [1].

sensu cum Spinoza accipere, Spinozam autem in Cogitatis Metaphysicis non suam peculiarem sed Cartesii sententiam tradere; quoniam haec igitur aperta fronte pugnent, utra defensio ipsi admittenda sit, Waeyeni an Burmannorum?

[1] Nullo negotio longam hic adscribere possem recentiorum de Theologia Limborchii judiciorum seriem, multorumque virorum auctoritate gravium encomiis chartam ornare. Quae tamen omittere satius est. Illis quae dedit pater meus, V. Cl., in Memorab. Sem. Remonstr. p. 115—117, haec tantum addam quae scripsit vir doctissimus H. Hallam in libro: Introduction to the Literature of Europe in the 15th, 16th, and 17th Centuries. Paris, 1839. Vol. IV. p. 84: »Limborch, great-nephew of Episcopius, seems more than any other Arminian divine to have inherited his mantle. His most important work is the Theologia Christiana, containing a system of divinity and morals, in seven books and more than 900 pages, published in 1686. It is the fullest delineation of the Arminian scheme; but as the Arminians were by their principle free inquirers, and not, like other churches, bondsmen of symbolical formularies, no one book can strictly be taken as their representative. The tenets of Limborch are, in the majority of disputable points, such as impartial men have generally found in the primitive or Ante-Nicene fathers; but in some he probably deviates from them, steering far away from all that the protestants of the Swiss reform had abandoned as superstitious or unintelligible." Quid sibi velit Paquot, qui l. laud. p. 441: »cette Théologie, inquit, est presque toute Spéculative," prorsus non intelligo. Verba significare posse videntur aut Theologiam Limborchii theoreticam

§ 8. *Reliqua Limborchii opera et fata.*

Quamquam ex universo Theologiae ambitu illam partem prae caeteris excoluit Limborchius quae strictius Theologia dicitur et dogmatum praeceptorumque, s. uno verbo doctrinae, religionis Christianae expositione absolvitur, omnem suam artem ita amplexus est atque illustravit ut nullius sacrosanctae disciplinae partis historia literaria ejus nomine careat. Summus Apologeta, Historicus Ecclesiasticus, Sacri Codicis Interpres etiamnum audiret, nisi Theologiae Christianae celebritas reliquam ejus famam superando quasi oppressisset. Quod ne temere dixisse videar brevi meritorum Limborchii laudisque quam apud aequales habuit enarratione efficere conabor.

Anno 1687 prodiit: De veritate religionis Christianae amica collatio cum erudito Judaeo, Goudae in 4to, non ficta illa sed quam revera habuit Limborchius cum Isaäco Orobio [1]. Duo praecipue, me quidem judice, in Limborchii contra Judaeum scripto, s. scriptis, probanda sunt. Prius: quod Jesu duntaxat Apostolorumque placita defendenda suscepit, noluitque Judaeo traditionis Ecclesiasticae onus imponere, ὃ οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι, cum soleant qui Christianam religionem nisi in uno quodam systemate nuspiam agnoscant, subtiles recentiorum definitiones et de religione dogmata potius

---

tantum esse, omissis locis practicis, aut illam a Biblica simplicitate alienam esse et philosophematibus refertam. Prius illud eum cogitasse verosimile puto, quamquam vero etiam similius eum non cogitasse omnino cum haec scriberet. Certe utrum horum cogitaverit, contrarium verum esse contendo.

[1] Fuse de hoc libro exposuit Clericus, in Orat. Fun., alibi; conf. Mem. Sem. Rem. p. 117 sq. Adjunctam sibi habet refutationem libelli Urielis a Costa, Deistae. Conf. Mem. Sem. Rem. l. laud.

quam ipsam religionem voluisse commendare. Ausus est Limborchius primorum Evangelii ministrorum vestigia premere et de Christo, non de doctoribus Ecclesiae, testimonium dicere. Altera laus methodum spectat. Difficile semper fuit Judaeis divinam religionis Christianae originem atque indolem persuadere, quoniam jubent nos ex suis libris sacris invicta argumenta proferre quibus Jesum esse Messiam a priori, uti ajunt, demonstremus, i. e. ex obscurioribus clarioribus lucem foenerari. Similia a Limborchio postularat Orobius, qui si in Coccejanum quemdam incidisset, voti procul dubio compos fuisset factus. Ille vero hominem coegit de veritate religionis Christianae ita disputare, ut primum Apostolorum Evangelistarumque fides certissima comprobaretur, dein de vaticiniis Messianis ac reliquis quae huc pertineant instituerctur disquisitio. Hinc factum quod Judaeus ad incitas redactus fuerit. Ex epistola Lockii (Familiar Letters, l. laud. p. 599), colligo synagogam Judaeorum decrevisse ne cum Christianis disputarent socii sui, ut scil. haberet Orobius quod causaretur cur postremo Limborchii scripto nihil reponeret. Paucis post collationem hebdomadibus mortuus est. Eandem viam tenuit Limborchius in disputando cum puella quadam lectissima, quae Christo abjurato, Mosis Rabbinorumque discipula fieri voluit. Hanc ad saniorem mentem revocavit et Christo lucrifecit; quod multi frustra tentarant viri doctissimi et Theologiae peritissimi. Rem narrat in epistola ad Lockium inedita, cujus partem longe majorem cum lectoribus communicavit J. de Goede ad calcem Amicae Collationis Belgice versae[1]. Incredibili studio

[1] Versio haec Belgica ab ipso Limborchio tantum non confecta fuit, sed anno demum 1723 edita, repetita anno 1735. Conf. Cattenb. Bibl. Script. Rem. p. 103, et Mem. Semin. Rem. l. laud.

hoc opus a plerisque Limborchii aequalibus exceptum fuit. Thomas Pierce, cui in Theologia sua non satis orthodoxus visus fuerat, usque adeo omnibus numeris absolutum illud judicabat ut nihil ei sive in eo vel addendum vel auferendum vel immutandum existimaret, tam egregium ut valde nollet de caetero ab aliis scriptoribus quibuscunque Judaeorum conversionem vel tantillum attentari, utque gratias Patri luminum agendas censeret quam maximas de multiplici illa gratia quam Limborchio in totius Ecclesiae a se redemtae οἰκοδομὴν concessisset; quae sunt ipsius in literis ad auctorem verba. Similia Jenkesius, Tillotsonus, Kidderus, alii. Pluris etiam, hac quidem in causa, facio Spenceri laudes, qui in epistola ad Limborchium: »*cum primum*, inquit, *adversarii tui (super plebem Judaeorum acuti) paginas aliquot perlustrassem, animum subiit poëtae illud: Si Pergama dextra Defendi possint, certe hac defensa videbo* [1]. *Tu vero (pro ea qua polles judicii maturitate) argumentis ejus omnibus tam nervose respondes, ut in meras argutias abeant; et praejudiciis aeque ac rationibus ejus tam cumulate satisfacis, ut (solis ad instar) non tenebras tantum sed et umbras omnes a causa tua fugasse videaris. Ut summatim loquar: ita partes suas implevit adversarius tuus, ut nihil ei praeter causam bonam; et sic ipse tuas peregisti, ut nihil tibi praeter adversarium ingenuum facilemque defuisse censeam.*" Ex Academia Julia multos annos post ad Limborchium scripsit Jo. Fabricius se in disputatione cum Judaeis, Consi-

---

1 Paquot, l. laud. p. 442: „Il n'etoit pas difficile à Limborch de repousser des traits si foibles." — Orobius varia hauserat ex libro Judae Lumbroso: Propugnaculo Judaismi, de quo ad Kidderum refert Limborchius illum manuscriptum in Judaeorum manibus versari et Christianis commodari nefas esse. Illum tamen nactus erat Limborchius, sibique in compendium redegerat.

dentium variarum controversiarum inserta, ipsius ductum esse secutum, quia facilius et dilucidius qui id tradidisset invenerit neminem. Et omnino multos in Germania fautores sibi invenit liber, quo etiam factum quod repetitus sit Basileae 1740 [1]. Aliis vero minus *amica* visa est collatio, quorum partim amicam censuram non curavit Limborchius. Burnetus caetera quidem omnia impense laudabat, improbabat hoc unum quod Limborchius omnem de divinitate Christi deque cultu Christo tamquam Deo exhibito, in quibus maxime laborare et haerere soleant Judaei, evitasset hac brevi responsione: haec non a se credi necessaria ad salutem, nec deprehendi ita clare in N. T. ut teneantur omnes hisce fidem adhibere. Reposuit Limborchius: noluisse se cum Judaeo de divinitate Christi disputare, quippe quae nonnisi argumentis e Sacro Novi Testamenti Codice, cujus ille neget auctoritatem, probari possit; satis sibi visum esse si illi persuaserit, quod aequalibus Apostolis, Jesum esse Messiam; velle se tamen quaedam data occasione inserere, quibus probetur Christo, intime cum Patre conjuncto, recte tribui adorationem, quippe quae non in diversam a Patre personam terminetur (quae sit trinitariorum, qui stricte dicuntur, sententia, Judaeis praecipue suspecta), sed in ipsum Deum vergat, cujus arctissima sit cum Messia Jesu Christo unio [2].

Circa idem tempus quo in refutando Judaeo occupatus erat Limborchius, incidit in librum Ms. Sententiarum Inquisitionis Tholosanae ab anno Christi 1307 ad 1323 [3].

---

[1] Conf. Act. Erud. Lips. Mens. Apr. 1688 et Budd. Isag. p. 1318 sq. J. A. Nösselt, Anweis. zur Kenntn. der besten allgem. Bücher etc. 4te Aufl. S. 255.

[2] Legitur hoc additamentum in versione Belgica, p. 582—594.

[3] Conf. de hoc Ms. literarum commercium Limborchii cum Lockio (Familiar Letters) l. laud. p. 604, 606, 914 sq. Qui postremo hoc loco

Illum edidit anno 1692 Amstelodami in folio, praemissis quatuor de Historia Inquisitionis libris, quibus instituti illius origines, incrementa, formam immutatam, reliqua omnia quae ad illud pertinent diligenter pleneque persecutus est, verbis ut plurimum aut ipsorum Inquisitorum, aut scriptorum qui Inquisitionis instituto favent. Horum indicem operi praefixit singulosque locos accurate in paginarum margine adscripsit. Paquotium, quem aliquoties jam castigavimus, hic quoque inique et false de Limborchio pronuntiantem atque vagae praesertim indefinitaeque criminationi indulgentem non moramur. Quanta fuerit et quam anxia Limborchii cura de testium quos adhiberet fide, ex literis ejus ad Allixium alioseque ineditis mihi apparuit, atque omnibus videre est ex epistola ad Lockium edita (Familiar Letters, l. laud. p. 613). Paquotius eo tandem devenit ut tantum non in deliciis habere Inquisitionem et gratias Deo pro ea reddere nobis persuadere velit, quod ipsi permittimus. Limborchii opus fere omnium tulit suffragia. Censor in Act. Erud. Lips. Mensis Jul. 1693 perquam honorificam ejus mentionem fecit accuratumque dedit conspectum. Quibus laudibus Lockius illud dignum judicarit, ut de caeteris Limborchii amicis taceam, vide in ejus literis editis (Familiar Letters l. laud. p. 641, alibi). Decreto Sacrae Congregationis Generalium Inquisitorum, dato die 19 Maji 1694, Limborchii opus prohibitum damnatumque est. Auctor illius apographum exemplari suo praefixit.[1]

---

designatur per literas N. N. fuit Wetstenius). Exemplari Historiae Inquisitionis quo usus sum fuit ipsius Limborchii. Ille et alia bene multa additamenta inseruit et apographum testimonii sacerdotis cujusdam Romano-Catholici de Ms. authentia, quod edidi in Append. E. 1.

[1] Paquot l. laud. p. 455: »On peut regarder comme un Abrégé de l'ouvrage de Limborch l'Histoire de l'inquisition et de son origine, im-

Burnetus cum Historiae Inquisitionis exemplar ab auctore dono acceperat haec rescripsit: "*Tractatum brevem seu Praefationem longam, quo spiritum illum fervidum et vim ac flammas spirantem exagitares et ejusdem progressus detegeres, meditabaris dum hac de re colloquerēmur. Sed ut in omnibus vel amicorum vota tu longe exsuperas nos jam justo volumine beasti, in quo nihil desiderandum superest. Pudendum est equidem quod tot sint ex Reformatis qui toties Ecclesiam Romanam merito crudelitatis postularint et tamen eodem plane spiritu se agi quoties vires illis non defuerint vel nesciunt vel dissimulant. Pontificii tamen qui sibi Infallibilitatem vindicant magis innocue et congrue saeviunt quam qui se errori obnoxios fatentur si verbis fides, sed si ex factis sint judicandi sibi fidei arbitrium et dictamen arrogant.*" Fuit haec Limborchii quoque sententia; cumque Waeyenus calumniae ipsum postulasset quod Reformatos bene multos haereticidii patronos exstitisse in Theologia Christiana scripsisset, *de Reformatorum de poena Haereticorum sententia* librum singularem concinnavit, quem laudatum vide in Memorab. Semin. Remonstr. p. 119. Illum in lucem prodire passus non est, quoniam credebat esse in Reformatis nonnullos qui crudelitatem illam non probarent, uti scripsit in literis ad Ger. Noodtium. In quo judicium ejus valde laudandum est. Scilicet Protestantium Ecclesiae — dicamus enim ut mos est, quamquam tenendum cen-

primée à Cologne chez P. Marteau, c. d. à Bruxelles chez Eugène Henri Fricx (1693, 12°. pp. 302). Cette Histoire est du P. Jacques Marsollier, Chanoine Regulier de Ste Geneviève, mort en 1724, fort connu par ses excellentes vies de Henri VII, de S. François de Sales, du Réformateur de la Trappe, etc. Cet élegant Ecrivain n'auroit rien perdu de sa réputation, en supprimant la petite Histoire dont il s'agit ici, aussi bien que son Apologie d'Erasme."

seo unam, si proprie loqui velimus, esse Ecclesiam Christianam — etiamsi aeque imperfectae essent ac Catholica, cum sint multo perfectiores, quamquam suas habet illa sibi proprias privasque dotes; Protestantium, inquiam, Ecclesiae hac potissimum virtute Catholicam antecellere mihi videntur, quod ad summam absolutamque perfectionem multa sibi deesse videant atque fateantur, neque, si quidem sibi constent, omnia quae doctores sui illustres aut fecerunt aut docuerunt in se suscipiant defendenda imitandaque. Itaque si quid singuli earum socii, vel cuncti etiam commiserunt Evangelio contrarium, id non ipsis tamquam proprium vitium imputandum est, sed sic censendum: esse hoc antiqui fermenti Romano-Catholici residuum, quod nondum expulerint. Estque altius etiam assurgendum; etenim perversitatis et ignorantiae Ethnicismi hae sunt reliquiae, quas sensim destruit Sanctus Christi Spiritus. Itaque prudenter censuit Limborchius Reformatis parcendum esse, cum ultro profiteantur doctores suos non esse falli nescios, quod de Inquisitione sua affirmant Catholici. Attamen dolendum est illum haereticidii a Reformatis et commendati et patrati tot reperisse tamque atrocia exempla [1]. Immortales Deo gratias agimus quod nostra aetas illis careat. Utinam pariter immunes essent hodie omnes, qui Protestantes se dicunt atque Evangelicos, ab intolerantia et superbia, quas in aequalibus suis reprehendit Limborchius!

Ipse quidem volventibus annis et morte tamquam e longinquo appropinquante lenior etiam et modestior si fieri potuit factus est. Duo per totam vitam scripta polemica confecit; unum pro pace et mutua tolerantia juvenis edi-

[1] Capitum libri indicem et argumenta, ab ipso Limborchio conscripta publici juris feci in Append. E. 2.

dit contra Joannem Sceperum qui eam oppugnarat [1]. Hisce primitiis Theologiae litavit. Alterum fuit Defensio contra Waeyenum quam grandior natu suscepit ut famam suam nomenque tueretur, idque cunctanter et breviter et moderate fecit. Omnium ferme suffragiis ex unico hoc certamine spolia opima retulit, nec tamen ipse de victoria aut laetatus est aut gloriatus, cujus eum poenituisse potius videtur. Itaque licet Waeyenus saevire non desinebat, atque alios etiam in Limborchium excitabat, hic nihil amplius reposuit, nisi Defensionem illam in tertia Theologiae suae editione repetiit. Mortuus est Waeyenus anno 1701 ad finem vergente. Tres fere menses ante pacem cum homine reconciliandi occasionem nactus fuerat Limborchius eamque libenter arripuerat. Obviam illum habuit in officina bibliopolae Henrici Boom; prior blande eum compellat, deque valetudine interrogat. Waeyenus, qui alia omnia exspectabat, cum tam humano adversario inhumanus esse nequit; salutem reddit, hydropicum se dicit, varios miscet per semihorium cum Limborchio sermones; tandem hic discedit Waeyeno fausta omnia comprecatus. Tum hic ad bibliopolam conversus: Abit, inquit, Limburgius; si hic substitisset ego quaedam ipsi objecissem, et praesertim duo aut tria specimina. Alter respondet: ille non subterfugisset collationem tecum. Doluit Limborchius hominem frontem et verba non animum mutasse [2].

Anno 1700 Amstelodami prodiit libellus in 8vo quem scripsit Limborchius eo consilio ut Evangelii ministros do-

---

[1] Libelli descriptionem vide apud Cattenb. Bibl. Script. Remonstr. p. 103 et in Clerici Orat. Fun. — Vid. supra, p. 22.

[2] Haec habeo ex literis Limborchii ad Sam. Crellium 26 Novembr. 1701 et 24 Septemb. 1702 datis.

ceret quomodo ad mortem aegroti essent praeparandi [1], ne aut peccatorum conscientia et cogitatione nimium afflicti omnem abjiciant in Dei clementiam et Christi merita spem, aut de illis securi ne in mortis quidem articulo resipiscant. Summe prudens est in monitis suis et Evangelio quam maxime consentaneus. Precationes addidit a Simone Episcopio conscriptas, uti et orationem suam funebrem in obitum Joannis Owens, ministri quondam ecclesiae Remonstrantium Goudensis, quae anno 1664 in 4to jam prodierat. Digna profecto materies in qua senex occuparetur. Attamen alia erat longe etiam praestantior digniorque in qua Limborchii et vita et labores terminarentur. Postquam defensionem contra Waeyenum ab amicis extorqueri sibi passus erat, certam suam stare sententiam professus est nullum posthac scriptum polemicum edendi, sed ad Sacri Codicis interpretationem se convertendi totum. Neque, licet aetatis venia ad quiescendum de professorio munere et de omni omnino labore uti potuisset, in ultimo spatio desidere voluit. Senex annorum octo supra septuagesimum commentarios suos edidit in Acta Apostolorum, inque Epistolas ad Romanos et Hebraeos [2]. In praefatione egregie de allegorica interpretatione disputat et Coccejanorum placitum: verba Sacrae Scripturae ea omnia significare quae significare possint, quamvis illorum nomini parcat, graviter et copiose refutat, vel potius turpes ejus abusus reprehendit. Ipse quidem singulorum verborum quam rerum in sacris hisce scriptis explicandis

---

[1] Conf. Cattenb. Biblioth. Script. Remonstr. p. 104 sq.

[2] Prodierunt Roterodami anno 1711 in folio. In linguam Belgicam versi editi sunt anno 1725 Amstelod. in 4to. Inceperat hanc versionem Limborchius, susceperunt perfeceruntque post ejus mortem J. de Goede et K. Westerbaen. Latine repetiti sunt Basileae, 1740, in fol. Conf. de illis Buddeus in Isag. Hist.-Theol. p. 1523.

minorem habuit curam, ut facile agnoscas, quod in omnibus Limborchii voluminibus apparet, auctoris ingenium ad Theologiae Dogmaticae studium inprimis et aptum fuisse et pronum. Caeterum Limborchii Commentarii multis se commendant dotibus egregiis, et a plerisque aevi illius vitiis immunes sunt. Sic, ut hoc unum nominem, in eo laudandus mihi videtur Limborchius et ad imitationem proponendus quod quam habuerint scriptorum illorum auctores scribendi causam et opportunitatem, quemque sibi proposuerint finem, diligenter ante omnia inquirit et in omni totius scripti interpretatione attendit.

Die 29 Julii 1711 haec ad Joannem Moore, Episcopum Norvicensem, scripsit: „*Licet meditatio mortis in quavis aetate magnum ad pietatem incitamentum sit, attamen senectus, quae non tantum nos esse mortales, sed et brevi necessario morituros omniumque quibus caro nostra frui desiderat finem esse propinquum monet, fortius ac validius a caducis, ac brevi relinquendis animum abstrahere nos jubet. In tali aetate quid convenientius quam caelestia ac aeterna contemplari, eaque continuo meditari, quibus fides majora capit incrementa, ut ita in Deo acquiescat, et liberationem ex hac misera ac aerumnosa vita, adventumque Domini ad sui salutem cum fiducia desideret. Haec me cogitatio movit, ut commentarium hunc in lucem emiserim, qui quasi cygnea mea cantio est, qua totum vitae meae curriculum et quicquid est mearum lucubrationum concludo. Eum statueram reverendissimae tuae dignitati dedicare; verum ne forte nomen meum aliquam tibi apud zelotas rigidiores invidiam crearet, aut in calumniandi ansam maligne detorqueretur, malui privata epistola quantum tibi me devinctum agnoscam declarare.*" Eadem hac occasione ad Burnetum scripsit; hic literas anno 1712 rescripsit, quas si accepit Limborchius accepit pau-

cissimis ante mortem diebus. Supra jam monui plethoram illi saepe molestam fuisse. Tempore crevit malum. Medicis usus est cum aliis tum Lockio, et, de quo modo diximus, Episcopo Norvicensi. Illum saepe per literas consuluit; hic non consilium tantum verum et medicamenta misit. Neutrius ope multum profecisse videtur. Attamen annum jam septuagesimum octavum agebat et nullum gravem etiamtum passus erat morbum, quamquam neque labori parcebat et maximopere afflictus fuit per filii infortunium, qui postquam in Anglia, quo eum migrasse retuli, uxorem duxerat et rebus aliquamdiu prosperis usus erat, denuo rem omnem perdidisse videtur. Nihil unquam fuit quo tam graviter se commoveri passus sit Limborchius quam est hoc filii casu. Non tamen sibi defuit; dolorem ferendo superavit. Autumno anni 1711 laborare coepit morbo qui medicis Herpes aut Ignis sacer dicitur estque molestissimus. Quo ita debilitatus est senex ut vires nunquam ipsi restitutae sint. Mortuus est postremo Aprilis die anno 1712. Vir cujus si virtutem cogito et tristissima in quae incidit tempora, non possum quin ad ipsum referam quae aliquando ad Morum scripsit: »*Non abhorrerem si statuamus gratiam quandam discriminatricem, Deumque singulis saeculis suos habere eximios, qui tamquam luminaria in Ecclesia lucent, quique a Deo speciatim excitantur et extraordinaria Spiritus copia donantur, ut veritatem adversus pullulantes errores vindicent.*"

PARS ALTERA.

DE LIMBORCHII THEOLOGIA CHRISTIANA.

Exponam de Philippi a Limborch Theologia Christiana; sic vero exponam ut ejus indoles appareat, cernantur quae in illa laudanda aut culpanda veniant, intelligantur ratio ac praestantia. Brevem grandis voluminis conspectum exhibere et mihi et lectoribus summam crearet molestiam, nec foret ullius quo taedium compensaretur usus. Etenim quae fuerint de singulis Theologiae locis antiquorum Remonstrantium placita satis notum est omnibus qui rerum veritatem cognoscere quam praejudicatis opinionibus adhaerere malunt [1]; reliquos non moror. Quodsi Limborchius quaedam aliter quam decessores sui aut succes-

[1] Non laudare hoc nomine nequeo Straussium, vir. doct., qui de Arminianorum, quos dicit, sensis ex ipsorum scriptis cognovit, quaeque ibi reperit summa plerumque integritate exhibuit in libro suo: *die Christl. Glaubenslehre*, u. s. w. Paucis tantum locis de Limborchii caeterorumque placitis minus vere retulisse mihi videtur. Non tamen idcirco judicium quod de illis fert probandum censeo. Hanc viri illius sane quam eruditissimi integritatem laudando ne quis liberalitatis nescio cujus speciem me affectare suspicetur. Hostis mihi est Straussius, quoniam est Ecclesiae Christianae; at virtus et in hoste laudanda, si praesertim in sociis rara inveniatur.

sores proposuit, illa minoris fere sunt momenti prae iis quae omnium communia fuerunt. Maxima inprimis in Episcopii, Curcellaei, Limborchii, Cattenburchii institutionibus theologicis cernitur ingeniorum auctorum affinitas et unus quasi color quo cuncta atque singula quae tractant imbuta sunt. Itaque, ut rem pressius agamus, in Prologo vidimus qualis Theologia illo aevo desideraretur; quid a Limborchio exspectari potuerit in Parte Priore indicavimus; quid ille praestiterit jam considerabimus. Amo in tali disquisitione libri inscriptionem, i. e. auctorem ipsum mentem suam declarantem, consulere, qui quid sibi proposuerit ante omnia sciendum est, dein utrum fuerit assecutus. Limborchius itaque voluit ut opus suum esset: *Theologia Christiana, ad praxin pietatis ac promotionem pacis Christianae unice directa.* His consona est praefatio, estque ipsius operis ratio. Nam uti nec profitetur Limborchius omnibus numeris absolutum systema, quale vulgo tradebatur, se conscripsisse, ita revera ejus Theologia non Scholastico-systematica est sed Biblica; est porro practica; est quoque irenica. Longe sane hoc Limborchii institutum ab aequalium studiis discedebat, qui *systemata* fere *scholastico-theologica* condebant, eaque *didactica* atque *polemica* [1]. Quae tanta est et tam manifesta diversitas, ut non abs re facturus mihi videar si haec tria potissimum in exponendo de Limborchii opere attendam, quod fuerit illius Theologia Biblica, Practica, Irenica.

---

[1] Primum prodiit Limborchii Theologia anno 1686. Annum ante Vitebergae Quenstedius ediderat suam *Theologiam didactico-polemicam, s. systema Theologicum in duas sectiones didacticam et polemicam divisum*, cujus editio quarta prodiit anno 1715, eodem quo Limborchii Theologia quartum est edita. Anno itidem 1686 Joannes Marckius Groningae primum in lucem emisit *Compendium Theologiae Christianae didactico-elencticum, inmixtis problematibus plurimis, et quaestionibus recentioribus adauctum.*

§ 1. *Limborchii Theologia fuit Biblica.*

De Sacro Veteris Novique Foederis Codice sic semper existimarunt omnes Christiani, si paucos excipis fanaticos, veram de Deo deque hominis cum Deo conjunctione doctrinam illo praecipue contineri, et ex altera praesertim ejus parte, s. e Novi Foederis libris, Evangelii, i. e. laeti de Patris coelestis erga homines voluntate deque horum salute nuntii, certam petendam esse scientiam. Quod multi explicare etiam argumentisque evincere conati sunt; idque aliter alii [1]. Cum vero Theologia Christiana sit

[1] Limborchius hoc modo: Religio, s. recta verum Deum cognoscendi et colendi ratio, vel est naturalis vel revelata. Naturalis nititur dictamine rectae rationis, estque sufficiens quidem ad hominem officii sui convincendum, non autem ad peccatorem in gratiam cum Deo reducendum; quia solius est arbitrii divini, et peccatorem in gratiam recipere, et conditionem, qua intercedente recipiendus sit, praescribere (L. I, c. 1, § 7, 8). Revelata igitur opus est, quae nititur patefactione Divina. Plenissimam suam voluntatem Deus per J. Chr. revelavit (ibid. § 9). Norma religionis, sunt libri V. ac N. T. Canonici; illis enim solis Deus voluntatem suam revelavit (L. I, c. 3, § 2). Illorum auctoritas dependet ab eorum veritate et divinitate (L. I, c. 4, § 1). Utramque argumentis tam internis quam externis, quae dicunt, evincere conatur Limborchius. Testimonium Spiritus Sancti ad solos fideles restringit, nec quomodo illo ad fidei πληροφορίαν perducantur fusius explicat; notatus idcirco Franckio in Exercitt. Anti-Limb. Exercit. 1. Conf. Acta Erud. Lips. Sept. 1694. Non tamen parvi illud pendebat, sed quoniam est *internum* minus aptum judicabat quo aliis religionis veritas persuaderetur, nec vero necessarium esse censebat ad τῶν ἔξω persuasionem. Eadem fuit Episcopii mens Instit. L. IV, sect. 1, c. 5; nec video quid jure in illa queat reprehendi. Certe illa impia videtur quae tamquam consona Episcopii, Bailii, Reimari, Michaelisque sententia profertur a viro celeb. mihique aestumatissimo Nitzsch in Theol. Stud. u. Krit. Jahrg. 1843, 2tes Heft, S. 389: »Die Helden der Nüchternheit, Episkop, Bayle, Reimarus, J. D. Michaelis, bekennen entweder eifrig, dass sie das fragliche Zeugniss nie empfangen, so viel sie auch die Schrift gelesen; oder es gilt ihnen nur für dasselbe heiligende

docta in *religionem Christianam* inquisitio, qui hanc sanctissimam artem excoluerunt ad unum omnes theologiam suam Biblicam esse contenderunt, idque hactenus jure et vere quod nullius theologia prorsus non Biblica fuerit. Atqui *docta* est illa in religionem Christianam inquisitio. Theologus ea quae in Sacro Codice simpliciter ad populi captum et sensui religioso accommodate proponuntur interpretari debet, componere, explicare, in justam formam redigere, ut penitius cognoscantur atque intelligantur. Talem enim intellectum postulat hominis natura. Qua in re non omnes eadem ratione versati sunt. Etenim suam singulae fere gentes ad Christianam religionem afferebant indolem suamque sapientiam; Judaei legis peritiam studiumque, Orientis populi Theosophiam, Graeci Philosophiam, rerum civilium et juris prudentiam Romani, qui medio aevo floruerunt Theologi philosophiam Scholasticam. Hinc factum quod Theologia, quamvis ex Sacro Codice hausta, eam tamen formam indueret quae illorum a quibus semper excolebatur ingenio studiisque esset congrua [1]. Integra systemata ante Scholasticos (quibus prae-

---

Vorurtheil, welches auch dem Türken die Göttlichkeit des Korans beweiset, während es einem ganz vorurtheilslos hinzutretenden Leser wohl schwerlich widerfahren werde, dass ihm sich der Inhalt der Bibel als durchaus göttlich bezeuge;" u. s. w. Doleo virum praestantissimum horum quos reprehendit virorum verba imprudenter confundere. Sciant lectores *horum, quae apud Nitzschium leguntur, nihil umquam ab Episcopio aut scriptum aut probatum esse.* Caeterum illud quoque doleo quod vir ille *θεολογώτατος* iniquius de Episcopio nostro sentire videatur. Nam minorum gentium homines hac belli Straussiani occasione in Arminianos debacchari parum curamus. Suam produnt inscitiam; nobis benignam risus materiem suppeditant. Fatale hoc Remonstrantibus videtur ut illorum nomina contemnantur proscindanturque, sententia in plerisque probetur, qua, tamquam novo suoque invento, multi hodie gloriantur.

[1] Conf. N. C. Kist: de Gesch. van de Leer des Christendoms enz. in:

luserat Joannes Damascenus) vix ulla, aut nulla potius, fuerunt. Facile intelligitur quantum Evangelio addi debuerit, quantum de eo detrahi, quantum in eo immutari, ut tale ex illo fieret systema Aristotelico-Scholasticum. Nec mirum est rectam Sacri Codicis interpretationem ab illis Theologis aut ignoratam fuisse aut parum curatam. Imo, tam apertum erat plurima ab Ecclesia doceri et in Theologiam recepta esse de quibus ne hilum quidem in Sacro Codice legeretur, ut traditionem Apostolicam in auxilium vocare necessarium fuerit. Quod merito fecissent homines si revera Apostolica fuisset; sive enim scripto sive ore tradita ad posteros pervenisset, modo sincera atque incorrupta mansisset, parum referret. At vero ficta fuit, ut quod in scriptis Apostolicis desiderarent Ecclesiastici et Theologi aliunde cum auctoritate sibi peterent. De Reformatoribus, qui dicuntur, in Prologo fusius egimus, ac quomodo commenta illa magnam partem missa fecerint, et Sacro N. F. codici, i. e. verae et genuinae traditioni Apostolicae, debitum honorem vindicarint, neque tamen nulla ex theologia illa Patristico-Aristotelico-Scholastica receperint, pro viribus explicuimus. Narravimus quoque novam mox subnatam esse theologiam Scholasticam, antiquiori illi eo praesertim nomine antecellentem quod parcius commentis humanis et additamentis ad Sacri Codicis doctrinam indulgeret; quamquam suam etiam habebant traditionem theologi illi non ab Apostolis sed a Reformatoribus repetitam, neque ore traditam sed scriptis symbolicis, et, quod praecipuum fuit discrimen, quam illi ipsi qui eam plurimi faciebant infitiabantur [1].

Archief voor kerkel. Gesch. IVde D. bladz. 57 verv., quae dissertatie Germanico prodiit in: Illgen's Zeitschr. für die hist. Theol. 5, 2, S. 1—54.

[1] Quenstedtus, in praefat. ad op. laud.: »nihil, inquit, de divinis rebus asscrendum nisi quod in Scripturis θεοπνεύστοις expressum."

Haec breviter praemonenda et pro parte repetenda duxi, ut intelligeretur quatenus Limborchii theologia prae aequalium systematibus Biblica dici meruerit. Ille scilicet, decessorum e Remonstrantium familia vestigia premens, methodum Scholasticam aspernatus est, atque ex uno Codice Sacro sapere non professus tantum aut sibi visus est, verum serio etiam conatus, idque non frustra.

Novi Foederis libros a viris divinis scriptos esse ajebat Limborchius, qui non tantum non errarint, sed et, quia Spiritu Dei regerentur, in tradenda voluntate divina errare non potuerint. Quaedam quae forte non exacte definiverunt, fuere rerum majorum parvae circumstantiae, quas necesse non erat accurate et praecise determinari (Lib. I, c. 4, § 18). Librorum V. T. auctoritas nititur testimonio scriptorum N. T. (l. laud. § 1). Plenam igitur effatis Sacrae Scripturae fidem habet eaque tanquam oracula veneratur, etiam in Physicis [1]. Hinc passim quoque Spiritum Sanctum Sacri Codicis ac singulorum ejus verborum auctorem dicit. Non quaevis religionis Christianae dogmata aperte et plene in V. T. doceri putat; in illis vero quae utriusque et V. et N. T. communia sunt exponendis parem quoque utrique auctoritatem tribuit. Attamen longe plures ex N. T. quam ex V. locos afferre et explicare solet, quod vel Index operi subjunctus demonstrat. Recte quoque judicabat, quamquam non semper id meminisse videtur, Sacram Scripturam non esse corpus quoddam doctrinae de religione, sed historiam con-

[1] Lib. II, c. 21, ubi de creatione agit. Ibid. c. 25, § 13: »Solis cursum sistit (Deus) ad preces Josuae, eundem decem gradus retrocedere facit in gratiam Regis Esechiae." Tantum abest ut merito ὀλιγόπιστον Limborchium dixerit Straussius (die Christl. Glaubensl. u. s. w. 2ter B., S. 162 fg.); Limborchii verba quae citat (Theol. Christ. Lib. III, c. 14, § 22) aut parum attente legit aut non intellexit.

tinere humani generis divinitus ex peccati miseria et servitudine redemti [1]. Multis de interpretandi munere agit Limborchius Lib. I, c. 9—12, probe credo sentiens hic de rei summa se cum adversariis dimicare, hic esse Remonstrantibus Rhodum, hic saltum. Nam quamquam non facile mihi persuaserim omnes in Theologia controversias atque in Ecclesia discidia ab ignoratione Grammaticae pendere, ut ille ait, verum tamen est cum omnes in Sacrum Codicem jurare velint si illum recte interpretentur aut in unum convenire debere, aut vix posse dissimulare se suis opinionibus, non Dei effatis, adeo tenaciter adhaerere. Itaque Sacrae Scripturae interpretationem ab omni, qualiscunque tandem sit, auctoritate humana egregie vindicat Limborchius, et adversariorum praestigias indignatus normam istam secundariam, quam crepent, revera primariam esse evincit (l. laud. c. 10 sq.). Aliquam tamen auctoritatem interpreti observandam judicat, Jesu scil. et Apostolorum, s. ut dicere mavult Spiritus Sancti in N. T. effata sua quae in V. T. leguntur explicantis (l. laud. c. 9, § 6 [2]; alibi passim. Conf. omnino praefatio Limb. ad Commentarios suos). Theolo-

---

[1] Hanc ejus fuisse sententiam imprimis ex Lib. III Theologiae Christianae apparet. Ibid. ad finem c. 9, postquam de Adami lapsu, de propagatione peccati et de naturae legis ad id reprimendum impotentia, de foedere Dei cum Abrahamo, et de lege Mosaica egerat: »hinc, inquit, liquet, nullum eorum mediorum, quae Deus ante Christi Filii sui adventum adhibuit, per se efficax fuisse ad homines e miseria sua liberandum," etc.

[2] Hoc loco, nisi de viri praestantissimi sententia aliunde nobis constaret, ridere quam serio loqui voluisse nobis videretur: »Contingit nonnumquam, inquit, verba prophetiae nihil continere eximium, quod non in typo sit impletum; ita ut in latissima sua significatione accepta omne in typo complementum habeant; neque ex verbis ipsis mysticum sensum colligere possemus, nisi Spiritui Sancto placuisset verba illa mystico sensu ad tempora Christi referre."

giam quoque Typicam, illique congruam V. T. interpretationem, minime aspernatur (l. l. laudd.), sed moderate, sobrie, prudenter illam vult exerceri, et ante omnia literalem verborum sensum investigari. Summa tandem laude digna sunt *καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξια* quae *de requisitis in Scripturae interprete* monet Lib. I, c. 12. Quem non tantum varia eruditione ad munus suum bene paratum accedere jubet, verum postulat etiam »ut liber sit a praejudiciis, sensumque suum in Scripturam non inferat, sed ex ea hauriat; certus, fieri posse, ut sententia, quam veram credit, erronea sit et Scriptura redarguatur. Non enim credibile est Deum, homini Scripturam legenti, non ut veritatem sincere ex ea addiscat, sed ut sententiae, absque debito examine arreptae, stabiliendae argumenta quaedam conquirat, veram Scripturae intelligentiam largiturum." Recte ille et vere! Utinam sic saperent multi, qui cum omnem Rationalismum oderint et respuant, ipsi longe pessimi sunt Rationalistae; quippe nihil admittere velle quod *rectae* rationi adversetur impium ducunt et nefas; *perversae* vero suae aliorumve rationi praejudicatisque opinionibus Sacrum Codicem ancillari dignantur. Pergit Limborchius: »ne nimium confidat propriis viribus et ingenio, sed animo humili ac modesto Spiritus Sancti auxilium imploret, quem Deus ipsum invocantibus denegaturus non est; ut afferat animum probitatis ac pietatis studiosum: talibus enim Deus secreta sua revelare solet. In ipsa lectione, similiter varia requiruntur: ut accurate inquirat scopum auctoris, cujus verba est interpretaturus [1]: et hunc in finem atten-

[1] Hinc apparet cum grano salis accipienda esse quae de Spiritu Sancto librorum sacrorum auctore alibi pronuntiat Limborchius. Ipsum hanc interpretandi normam secutum esse ostendimus supra in Parte Priori ubi de ejus Commentariis egimus.

dat ad antecedentia et consequentia, ex quorum cum verbis, quae explicaturus est, nexu facile auctoris scopum colliget, quo non animadverso longe alius saepe quam auctor intendit apparebit verborum sensus. Ut obscura explicet per clariora, non vero clara per obscuriora. Ut distinguat inter orationes proprias et figuratas. Quando figuratam orationem explicat, et in propriam convertit, ut non omnia, quae in figura observari possunt, applicet rei figurata locutione designatae; sed non ulterius quam materiae ratio aut scopus auctoris permittit. Ut nullum admittat sensum, qui analogiae fidei utrobique in Scriptura clare inculcatae repugnet, aut ex qua absurdum evidens sequatur." Postremum hocce praeceptum nonnullis displicebit, nimium quam placebit aliis. Displicebit illis qui in religione nullum rationis locum esse contendant et credere ament quia absurdum. Quibus respondendum censeo: nos graviter quidem dolere eam esse hominum plerorumque infelicitatem quod sint ratione praediti et absurdis fidem habere nequeant, et durum hoc putare, sed ferendum tamen cum corrigere sit nefas. Hos qui nihil admittere aut credere soleant quod rationis ipsorum modulum excedat, priusquam Limborchium tamquam suum plausu excipiant, nescire nolo illum sic quidem existimasse, nihil in Sacro Codice doceri quod rectae rationi adversetur, non vero eo progressum esse arrogantiae et stupiditatis ut nihil eo contineri opinaretur quod suam rationem superaret. Sic est: ajebat Limborchius nihil quod rectae rationi repugnet aut evidentem in sese absurditatem contineat a Deo, ac proinde Scriptura, revelatum esse posse [1]. Ab altera parte nolebat Philosophiam

[1] Lib. I, c. 12, § 5. Conf. Strauss: die Christl. Glaubensl. u. s. w. 1ster B., S. 146. — Recte sic Limborchius. Addatur: etiamsi revelari po-

esse Scripturae interpretem, i. e. regulam ad quam Scripturae sensus sit exigendus, quoniam decreta Dei revelata ratio sibi relicta numquam cognovisset; itaque nec de iis abjudicare potest (Lib. I, c. 12, § 13); deinde post revelationem multae supersunt difficultates rationi humanae impervestigabiles (l. laud. § 5). Haec duo igitur tenuit; in quibus latent, fateor, tam Rationalismi quam Supernaturalismi principia. Rem sua aetate nondum controversam expedire ne conatus quidem est Limborchius, nisi quod vere dicat aliud esse aliquid non intelligere, aliud evidens in eo absurdum agnoscere (l. laud.). In quo pariter latet difficultatis solutio. Scil. quodcunque nondum intelligimus hactenus *nostrae* rationi (quae non est *perfecta* ratio s. *humana* ratio absolute sic dicta) absurdum est, quod illud ratiocinando tamquam superare et in reliquarum nostrarum notionum ordinem cogere nequeamus; at sensui tamen nostro probare se potest atque idcirco pro vero nobis haberi; et quoniam rationem nostram superat spes est fore ut haec aliquando id assequatur. Talia quam plurima sunt in religione, neque in religione tantum sed in rebus quibusvis praestantissimis; quae si quis aspernetur et cum *humana* ratione pugnare opinetur quoniam *suam* aut *aequalium suorum* rationem superent, is non ferendam arrogantiam miseramque prodit δοκησισοφίαν. Si vero dogma aliquod evidens absurdum contineat, i. e. res utrimque claras et perspicuas sed sibi contrarias pro veris nobis obtrudere velit, continuo rejiciendum est. — Sed revertamur unde digressi sumus. Limborchius igitur hac difficultate, quam non expedivit quo-

---

tuisset nihil tamen inde nos homines proficeremus; absurda enim ediscere possumus et memoriter recitare, fidem illis habere salutarem non possumus.

niam non sensit, neque impeditus fuit quominus interpretis munere plane egregie et cum summa sua laude defungeretur. Statet ejus Theologia exemplis, quae adferre nolo ne longior fiam, cum praesertim communis virorum doctorum sententia sit, dominatos esse in hoc genere antiquos Remonstrantes et aequalibus suis multum antecellere[1].

At praecipua Theologi in condenda Theologia Dogmatica operae pars in eo consistit ut, quae justae interpretatinis ope e Codice Sacro eruit, apte digerat, componat, explicet, ab aliorum dubiis vindicet, lectoribusque commendet. Quae doctrinae expositio in Limborchii opere Biblica est. Scholasticam aequalium suorum methodum vehementer aspernabatur et odio fere habebat; nihil prae Biblica simplicitate optabilius illi visum est. In epistolis praesertim ad familiares hoc nomine Apostolorum aetatem beatam praedicare solet, et nonnumquam parum abest ut nullis praeter Biblicos terminos, quos dicunt, in tradenda

---

[1] Strauss, die Christl. Glaubensl. u. s. w. 2ter B., S. 450: »Die eigentlichen Sitze der Prädestinationslehre, besonders Röm. 9, konnten sie (Socinianer und Arminianer) nicht ohne Verdrehung beseitigen." Ibid. in nota: »Die mediale Deutung des ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι A. G. 13, 48, die Beziehung der Auswahl Jakobs vor Esau Röm. 9. auf bloss irdische Segnungen, und Aehnliches findet sich schon bei Socinianern und Arminianern; wie sie ohnehin den exegetischen Kanon: *Verba actionem significantia in hebr. lingua aliquoties usurpantur ad nudam tantum permissionem designandum*, von den Griechischen Vätern sich aneigneten. Limb. IV, 7—9; 8, 11." In hisce atque aliis locis quaedam verba minus recte interpretatum esse Limborchium non diffiteor; non tamen illa contorsisse dicendus est sed ea usus esse libertate quam aetas illa interpretibus concedebat, pro minori quae tunc erat Grammaticae peritia. Sanam Limborchii interpretandi rationem laudat Ypey, Gesch. der System. Godgel. D. III, bladz. 317. Causam cur in nonnullis erravit eandem indicat quam mox ego dixi. Leg. etiam Muntinghe, Gesch. der Menschheid, D. X, bladz. 124 van de Aanmerkk.

Theologia utendum censeat [1]. Attamen virum sagacissimum fugere non potuit verbis illis repetendis parum nos proficere nisi illorum sensus pateat [2]. In literis ad Wissowatium datis anno 1704: »*Nunquam*, inquit, *ea fuit nostra sententia, non licere in explicatione Scripturae, aut dogmatum Theologicorum, uti verbis aut phrasibus, nusquam in Scriptura exstantibus. Qua enim ratione obscurae in Scriptura locutiones explicarentur, si explicationem illam aliis quam Scripturae verbis facere illicitum esset? Hoc tantum docemus: In tradendis fidei articulis necessario credendis utendum esse verbis ipsius Sacrae Scripturae.*" Itaque in Theologia sua plerosque locos fuse et copiose explicat; et scholae quoque vocabulis passim utitur, nec cominus cum adversariis de rebus controversis cernere detrectat. Quid, quod in tali contentione, quamquam placidus et sobrius, fortissimus tamen est et acutissimus ac plerumque invictus? Rem acu tangit; nullum adversario subterfugium relinquit; lento gradu sed firmo certoque progreditur donec absurdi illum convicerit. Exempla de multis pauca habes Lib. V, c. 61 sq.; Lib. II, c. 20, § 25; Lib. VII, c. 9; Lib. III, c. 21, § 2 sq. In aliis tamen verbis Sacrae Scripturae tenacius adhaeret, v. c. in exponendo de Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto (Lib. II, c. 17); sed tum ignorantiam candide profitetur; quam hominis modestiam doctamque inscitiam longe ego multorum temeritati praeponendam censeo. Credebat Lim-

---

[1] Ob eandem causam Limborchio non vehementer placere non potuit libellus Lockii: *the Reasonableness of Christianity*, quem solum dicebat se multis spissis systematibus praeferre.

[2] »Ein Begriff muss bei dem Worte seyn." Legatur egregia praefatio Michaelis, viri celeb., ad Compend. Theol. Dogmat. Göttingae, 1762. p. XI—XXXIII, quae magnam et meliorem partem prorsus cum Limborchii sententia consonat.

borchius cognitionem nostram dum hanc vitam vivamus semper fore valde imperfectam et mancam, ideoque in multa non curiosius inquirendum esse sed praestare ἐπέχειν et quae cognoverimus quantula fuerint cunque ad vitam referre. Non tamen desidiam commendabat sed prudentiam. — Parcus est et infrequens in Patrum Ecclesiae placitis ac testimoniis afferendis[1]. Historia quoque Ecclesiae et doctrinae Christianae raro utitur ad sententiam suam confirmandam explicandamque. Aliquando tamen id fecit, et tum recte. Leg. v. c. Lib. VII, c. 10, 11, 12. Causam si quis quaerat cur id fere omiserit, praeter illa quae monui in Parte Priori § 3, hoc quoque observandum est: Limborchium historiae Ecclesiasticae non nisi valde dubiam fidem habuisse, praesertim in controversiarum haeresiumque enarratione; parum quoque tribuisse Patribus Conciliisque. »*Quid enim* — quae scripsit ad Olivarium Doiley — *notius est quam in omnibus Conciliis tam antiquis quam recentioribus, partium studio et insano zelo omnia ferme esse gesta? Ordines Generales, qui per Deputatos suos Synodo Dordracenae praefuerunt, in edicto suo contra Remonstrantes testantur*, omnes controversias de quinque capitibus aliisque ab his dependentibus, mature in timore Dei et ex ipsius verbo esse examinatas et dijudicatas. *Quam fidem ejusmodi declaratio mereatur,*

---

[1] Paquot, l. laud. p. 440, de Theologia Limborchii: »l'Auteur y rejette toutes sortes de Traditions, et s'attache uniquement à l'Ecriture sainte: mais lorsqu'il s'agit de discerner les livres Canoniques d'avec les Apocryphes, il a récours à l'autorité des Pères, et à la Tradition de l'Eglise, sans se mettre en peine de lever une contradiction si sensible." Quasi opus esset demonstrare aliam esse traditionem historicam, dogmaticam aliam! Attamen tam falsa est Paquotii criminatio quam est ridicula; nam data opera hac de re exposuit Limborchius, idque admodum fuse, Lib. I, c. 4, § 11—16.

ut alia taceam, solae Doctoris Balcanqualli, qui illius Synodi membrum non ignobile, et Remonstrantibus neutiquam amicus fuit, literae abunde docent." Similia ad Morum: »*Equidem*, inquit, *quando penitius ad animum revoco, quam mala fide saeculi nostri acta conscribantur, quam tetrae haereses, quas toto animo detestamur, nobis quasi in faciem ab infidis historicis objiciantur, quae molimina praedecessoribus nostris, a quibus toto animo fuere aversi, adscribantur, quam turpibus ac falsis coloribus depingantur, valde antiquarum historiarum apud me vacillat fides. Video historias non ex vero, sed pro cujusque scriptoris affectu conscribi, in iisque non repraesentari res gestas, sed scriptoris commenta. Antiquioris Ecclesiae antistites non magis ab affectibus fuisse immunes, quam hodiernos, ipsorum monumenta clamant. Qua fide a talibus dogmata et consilia eorum, quos infami haereticorum nomine traducunt, conscripta sint, ex hodierni temporis scriptoribus facile dijudicatu est. Memorabile est, quod scribit Socrates Hist. Eccles. lib. I. cap.* **24**: **τοῦτο ἐπὶ πάντων εἰώθασι τῶν καθαιρουμένων ποιεῖν οἱ ἐπίσκοποι, κατηγοροῦντες μὲν καὶ ἀσεβεῖν λέγοντες, τὰς δὲ αἰτίας τῆς ἀσεβείας οὐ προςτιθέντες.** *Imaginamur nobis saepe in antiqua Ecclesia angelos, et vix reperimus homines. Haec similiaque quando attentius considero, nihil tutius credo homini Christiano, qui salutis aeternae sincero ducitur desiderio, quam ut omni autoritatis humanae in negotio fidei jugo excusso, soli verbo divino, unicae fidei morumque normae, adhaereat.*"— Quomodo in singulorum capitum explicatione versatus sit Limborchius vix aliter quam exemplis et longa descriptione ostendere possem; praestat vero ipsam ejus Theologiam evolvere, quod fecisse neminem poenitebit. Perspicuitate et simplicitate prae aequalibus plerisque se commendat Limborchius. Nimis multus est, fateor, in

controversiis; sed invitus fere illis se immiscet, aevi ingenio adversariorumque studiis obsequi coactus, ut facile videas illum talem qualem per lucida tamquam intervalla mente conceperit Theologiam non tam ipsum conscribere quam aliis conscribendi occasionem parare. Scilicet multis locis Scholasticam potius Theologiam impugnat quam Biblicam condit, cujus tamen ubique apparent principia vere et egregie posita. Valent haec quae dixi de parte doctrinae Christianae theoretica; practicam enim, de qua infra agetur, non tam aliorum errores refutando expedivit, quam suis inventis magnopere promovit.

Praeter aptam singulorum capitum doctrinae expositionem a Theologo postulari solet ut systema condat; unde haec Theologiae pars Systematica audit. Qua de re gravis mihi videtur et admodum difficilis quaestio, utrum in systematis formam laetus ille de salute nostra nuntius cogi queat debeatque. Prima quidem specie Evangelii indoli nihil minus congruum excogitari posse videtur. Est enim non scientia, neque ars, neque doctrina, sed narratio de re facti, ut dicere consueverunt, eaque non praeterita sed quae etiamnum agitur ageturque continuo ad postremum usque qui illucescet diem. Cum vero omne factum vel cogitatorum unius pluriumve hominum vel voluntatis Divinae manifestatio sit (dicam enim quomodo possum), non cognosci tantum sed etiam intelligi potest ac debet, i. e. explicari debet quid sit quod quovis facto manifestetur. Idque dupliciter fieri potest; vel enim a principio quodam rationali profecti consectarias inde deducimus, donec ad illam perventum fuerit ideam quae facto illo se manifestarit, vel ex ipso facto attentius considerato illa efficitur. In explicanda religione Christiana posteriorem viam tenere debet Theologus, Philosophus priorem. Huic veri inventi argumentum erit si quod ra-

tiocinando effecerit rerum veritati consonet. Ille pleniorem rerum intelligentiam a Philosophia exspectare debet. At confunduntur fere, quae separari oportet initio ut aliquando amice queant conspirare. Simplex et genuina illa Theologia primis jam saeculis, praesertim vero Scholasticorum aetate, philosophematibus corrupta fuit et adulterata[1]. Hinc systema exstitit philosophico-theologicum, quod a Reformatoribus hic illic quidem immutatum est atque emendatum, non tamen, quod oportuit, funditus eversum, ut ejus loco Theologia vere Biblico-Evangelica exstrueretur. Mox antiquum aedificium magnam partem reparatum est novisque auctum partibus[2]. Ad tale sys-

[1] Conf. Melanchthon in Locis Theologicis ad fidem ed. 1ae editis a Jo. Christ. Guil. Augusti, Lips. 1821, in sect. *de hominis viribus adeoque de libero arbitrio*, init., edit. laud. p. 10 sq. — »Redolet philosophiam, inquit, quidquid omnino commentariis proditum est."

[2] Quid mirum ruinas illud minari et multis partibus jam collapsum esse, ita quidem ut si Straussius solo illud aequare frustra sit conatus, successorum tamen, quos procul dubio est habiturus, impetum sustinere vereor an possit. Scilicet innititur partim quidem aeterno illi fundamento, quod nemo umquam evertere valebit, Evangelio, partim vero philosophico systemati s. potius systematibus, perquam antiquis et dudum antiquatis. Prorsus assentior viro celeb. Weisse (*die geschichtl. Voraussetzungen der Straussischen Glaubenslehre*, in: Illgen's Zeitschr. für die Hist. Theol. Jahrg. 1842. 3tes H. — Ibi S. 125): »Die wahre Aufgabe der Dogmatik in unserer Zeit wird sich als ein *Scheidungs*process bezeichnèn lassen. Es gilt nämlich vor allem Andern, die *substantiellen* Momente der Religion, der Christlichen Offenbarung, von dem *theoretischen* Zusatze auszuscheiden, mit welchem wir sie in der kirchlichen Dogmatik allenthalben versetzt vorfinden. Sie wird sich ferner als ein *Vermittlungs*process bezeichnen lassen. Wenn nämlich, was in jenem Scheidungsprocesse als die Schlacke einer dem gediegenen metallischen Kerne der religiösen Substanz aüsserlichen theoretischen Form erkannt worden ist, allerdings bei Seite zu legen und der Geschichte der Philosophie und der Wissenschaft als ihr Eigenthum zu überantworten ist: so wird dagegen in Be-

tema contorquebatur Sacrae Scripturae interpretatio atque universa religio Christiana, quae qua sit origine nata hoc certissimum documentum dedisse mihi videtur quod, cum ab hominibus tam male fuerit habita, divina tamen indole et praestantia ne sic quidem spoliata sit. Evolvatur modo systema illud Quenstedti, qui in praefatione vetat »aliquid de divinis rebus asseri nisi quod in scripturis θεοπνεύστοις expressum sit," et componatur cum Sacro Codice; mirum si idem in utroque Evangelium agnoscat homo historiae dogmaticae imperitus. Remonstrantium et in his Limborchii meritum fuit quod in Institutionibus suis Theologicis systema illud relinquere sint ausi et Scholasticam methodum impugnarint. Ipse Limborchius justum atque integrum systema Biblicum non condidit. Hactenus quidem ejus laus imperfecta est. Nam potest, si quid video, debetque Theologia Christiana in aptam s. systematis s. syntagmatis, si mavis, formam redigi, idque ea ratione ut, cum Scriptura Sacra factorum seriem contineat, eligatur aliquod summum et praecipuum, tamquam religionis Christianae meditullium, ad quod omnia referantur et a quo deducantur omnia; non qualecunque pro arbitrio, sed quod revera tale est a quo omnia pendeant. Tale principium posuit Protestantismus: redemtionem scil. humani generis per Christum; quae certe summa est Evangelii. Neque illud neglexit Limborchius, dominatur potius in ejus Theologia. At vero cum, si sic enuntiatur, idea sit abstracta et factitia, vario abusui occasionem dedisse videtur; saltem impedire non potuit quominus Theologi plerique antiquum obtinerent

zug auf den substantiellen Kern die wissenschaftliche Arbeit, weit entfernt, mit jener Ausscheidung vollendet zu seyn, nun erst recht ihren Anfang nehmen müssen."

et non tam Evangelium explicarent, quam praejudicatis opinionibus in Sacro Codice subsidia quaererent. Coccejani, idem illud principium tenentes, Theologiam ex Scholastica Biblicam facere sic sunt conati, ut ex multis similitudinibus, sub quibus in Sacra Scriptura res proponitur, unam eligerent ex nobilissimis quam quasi propria esset dictio acciperent. Hinc Theologia illa Foederalis; quae sua etiam habuit ornamenta et lumina, non spinosas quaestiunculas, ut Scholastica, sed typorum interpretationes. Optime procul dubio de Theologia sunt meriti; et hactenus antiquis Remonstrantibus praestare mihi videntur quod non tantum Scholasticum systema oppugnarint sed Biblicum ejus loco exstruxerint. Attamen tantopere in invento suo sibi placebant atque opinioni illi de oeconomia foederali mancipati erant, ut non tam successus quam conatus laudandus videatur. Ubi Witsium, qui inter illorum principes censetur, de pacto Dei Patris et Filii disserentem audimus (de Oecon. Foederum Dei Lib. II, c. 2), atque pacti illius naturam sic fusius explicantem (c. 3), ut v. c. »initium illius quaerat in aeterno adorandae Trinitatis consilio: quo Filius Dei a Patre, approbante Spiritu Sancto, generis humani servator constitutus sit, ea conditione, ut in plenitudine temporis ex muliere et sub lege fieret; quod Filius se facturum spoponderit" etc., atque utrumque Sacrum Codicem sic interpretantem ut hisce inventis consonet, — haec, inquam, ubi consideramus, Limborchium tali systemate non impeditum fuisse quominus singulos locos vere et Biblice constitueret gaudemus[1]. Sociniani, ut de his

[1] Attamen fatendum est illud ipsum in causa fuisse cur quaedam quae philosophiam scholamque magis quam Evangelium sapiant in ejus Theologiam irrepserint, quod fieri non potuisset si *systema* omnibus numeris

quoque dicamus, cum Remonstrantibus non tam componi solent quam confundi; quod non sine summa horum injuria fieri accurata in utrorumque sententiam inquisitio quemvis docere potest. Fateor Socinianos quoque illud principium posuisse: ex uno Codice Sacro sapiendum esse, hoc vero nihil contineri quod cum recta ratione pugnet. At vero cum Remonstrantes ab eodem principio profecti accuratae Sacri Codicis interpretationi operam darent, certi se nihil inventuros quod rectae rationi adversaretur, multa vero unde rationem suam corrigere atque illustrare praejudicatisque opinionibus purgare possent, Sociniani primum systema quoddam rectae rationis confecerunt ad cujus tamquam regulam Sacrum Codicem exigerent contorquerentque. Hinc secta fuerunt et sua habuerunt placita de religione quibus socios suos adstringebant; eaque quam fuerint a Sacri Codicis effatis diversa nemo nescit [1]. Itaque non in singulis tantum lo-

absolutum et undique finitum atque una Biblicum condidisset. Talia intelligo qualia leguntur Lib. II, c. 19, § 6—9 de creatione ex nihilo, quod placitum diserte non Biblicum esse affirmat § 5, et ibid. c. 23 ferme toto, de intellectu et voluntate hominis. Sed raro sic peccat.

[1] Pulchre hac de re exposuit Stäudlin, Gesch. der Theol. Wiss. Th. II. S. 291 fg. Quod vero idem dicit, ibid. S. 303: »Es ist wahrscheinlich, dass die Remonstrantischen Theologen in manchen Stücken noch weiter gegangen seyn würden, wenn sie nicht den Hass, welcher auf den Socinianern lag und die Schicksale, welche sie trafen, vor sich gesehen hätten," hoc falsum est et iniquum. Primum enim satis illustria, credo, specimina dederunt antiqui Remonstrantes quanti veritatem facerent et velle se conscientiae ergo *οἰκίαν, καὶ γονεῖς, καὶ ἀδελφούς, καὶ γυναῖκας, καὶ τέκνα ἀφιέναι*. Dein in privato cum ipsis Socinianis literarum commercio ne latum quidem unguem ut illis gratificarentur a sententia sua discesserunt. Denique, num credibile est viros, ad quorum exemplum hodieque componitur Sacrae Scripturae interpretatio, Socinianorum *παρερμηνείᾳ* voluisse calculum adjicere? — Similem suspicionem profitetur Straussius, die Christl. Glaubensl. u. s. w. 1ster B., S. 476, 480. Cau-

cis cum Socinianis dissentiebant Remonstrantes, verum ipsum Theologiae principium re longe diversum quamquam verbis fere consonum habebant. — Vidimus de Limborchii aequalibus; de recentioribus brevis ero. Utriusque tam Supernaturalismi quam Rationalismi principia, atque una quaestionis solutionem, in Limborchii sententia latere supra demonstrare conatus sum. Illi qui sub saeculi praesertim antecedentis finem et hujus initio Theologias Biblicas, proprie sic dictas, conscripserunt, in multis cum Limborchio consonant; magis etiam cum Clerico, qui talem Theologiam Historico-Biblicam descripsit in Liberii de Scto Amore epist. 7. Eodem refero Theologos qui singulorum Apostolorum doctrinas explicant. Hi omnes utilem praestant operam et necessariam, non vero talem, si quid video, quae nobis omnino faciat satis. Accuratam potius Christianae religionis descriptionem habent eorum libri et aptam in quam Theologus inquirat materiem, quam ipsam illam Theologiam Christianam, quam dudum quaerimus, quaeque inventa non tantum

sas quoque addit cur sic sentiat: primam, quod Remonstrantes formulas Ecclesiae aspernentur et malint ἐπέχειν. Agnoscimus philosophum cui absurdum et suspectum videtur aliquem profiteri se non omnia intelligere; quod Straussio quidem fortasse idem est ac negare, sed nolim de caeterorum modestia ex sua existimet. Addit hoc valde suspiciosum esse quod Episcopius dicat: ad salutem non necessarium esse ut quis praeexistentiam Filii Dei agnoscat. Itaque haec est Straussii de Theologis Christianis sententia, de nulla re firmiter illis persuasum esse nisi fidei suae professioni addere sint parati: qui igitur vult salvus fieri sic nobiscum sentiat. Illis Christianis qui itidem orthodoxiae κριτήριον ponunt damnandi temeritatem novum socium gratulamur. — Caeterum habuerunt omnino Remonstrantes etiam sua de religione Christiana placita, habuerunt suam fidei confessionem, sed in his dissensum ferebant. Evangelium omni dubio majus esse credebant; dogmata vero, i. e. humana quibus divinum Evangelium explicatur placita, ita sancire ut ab iis nec ipsis nec aliis discedere fas esset, arrogantiam putabant et tyrannidem.

aggerit et componit sed intelligere etiam et explicare conatur, idque sic ut unum ponat principium et summum ad quod omnia referat. Cum illis scriptis ea potissumum Theologiae Limborchii pars convenit quae historica est Lib. III, c. 1—11. Caeterum progressus quos fecit Dogmatica proprie sic dicta non tam sibi quam philosophiae debet; cum hac enim fere conjuncta mansit, cum hac sensim et mutata est et emendata. Nostro etiam aevo celeberrimi Theologi, in Germania praesertim, Theologiam cum Philosophia satis arcte conjungunt. Quod, me judice, dicam enim quod sentio idque non alios docendi sed discendi studio, et semper periculosum est et hoc nostro inprimis aevo multas habet cautiones. Nam multorum philosophia tantum abest ut sit fides quaerens intellectum, ut potius videatur intellectus quaerens fidem. Quoniam vero intellectus non est perfectus, perfectam fidem invenire nequit. Suis quisque opinionibus commendationem quaerit et auctoritatem in doctrina Christiana, eaque Ecclesiastica potius quam Biblica. Periculum igitur est ne semet decipiant Philosophi decipiantque Theologos. Quod hi sic optime cauturi mihi videntur, si via illa quam dixi doctrinam Christianam non ex systemate quodam aut principio rationali deducant sed ex solo Sacro Codice petant. Cujus Theologiae si principium aptum quaerunt et rerum veritati congruum, nullum equidem aptius novi quam ipsam Christi personam, *Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον.* Illum spectant Moses et Prophetae, in Illo omnis veritatis *πλήρωμα* est, de Illo testimonium exhibent Apostoli. Ille est *θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ*, Ille *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, Ille *μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων.* Sed haec fusius explicare meum non est [1]. Talem Theologiam vere Christianam

[1] Conf. C. I. Nitzsch, Syst. der Christl. Lehre, 3te Aufl. S. 114 fgg. Difficultates quas movet vir eximius tantae non videntur ut nequeant superari.

si quis conscripserit, nae is fecerit quod aetas nostra desiderat flagitatque. Talis Theologia non a Philosophorum pendebit arbitrio et ratiociniis admodum incertis, sed suam habebit in se subsistendi vim [1]. Cum vero de Christo aut nullam habeamus satis certam scientiam, aut illam quam petimus ex scriptis Apostolicis (quibus Evangelia et Acta jure adnumerantur), ad Sacrum N. F. Codicem recurrendum erit [2], et sic existimandum: posse Evangelium

---

[1] J. H. Fichte in: Zeitschr. für Philos. u. spekul. Theol., Neue Folge, 5ten Bds 1stes H. S. 98: »Ebenso wenig, als etwa die empirische Naturwissenschaft verdrängt werden soll durch die Speculation, wiewohl diese sich zur Naturphilosophie auszubilden hat, so wenig verliert die Theologie das nur ihr zustehende Gebiet ihres *Gegebenen* und das Recht selbstständiger Erforschung desselben einer künftigen positiven Religionsphilosophie gegenüber; denn sie hat, wie jede empirische und zugleich rationelle Wissenschaft, zu untersuchen, was eben das wahrhaft *Objective* in ihrem Gegebenen sey." De diverso Philosophiae et Theologiae munere vid. quoque T. Roorda, Ontwikk. van het begrip der Philos., Leeuwarden, 1835. bladz. 106—110. Conf. etiam J. E. Erdmann, Vorlesungen üb. Glauben und Wissen, Berlin, 1837. S. 265—269. Vere et pulchre dicere mihi videtur: »Die Dogmatik geht von der Geschichte aus und erkennt in ihr die Idee wieder. Die Religionsphilosophie wird von dem Vernünftigen, Nothwendigen, der Idee, ausgehn und wird zeigen, dass dieses auch wirklich, Geschichte etc. ist; während die Dogmatik gerade den umgekehrten Weg einschlägt."

[2] Rectissime J. A. Dorner: *über das innere Verhältniss des formalen u. materialen Princips*, u. s. w. (Theol. Mitarbeiten, 4ter Jahrg. 3tes Heft, S. 1—80. — Ibi S. 68 fg.): »Es kann entweder nicht mehr ausgemacht werden, was das objective, historische Christenthum ist, dann aber hat sich das Christenthum Dasjenige nicht geschaffen, ohne das es nicht den sichren, weltüberwindenden Glauben stiften, d. h. Christenthum seyn konnte; und das verwirft der Christliche Glaube, weil ihm die Richtung auf die Christliche Objectivität, in der er sich wieder zu erkennen vermöge, eingeboren ist: *oder* wir haben in den uns aufgesparten Schätzen der urchristlichen Zeit, in den Werken der Apostel und apostolischen Männer, das Urchristliche Objectiv verzeichnet, darin wir uns wieder zu erkennen vermögen.

fusius a nobis explicari et aevi nostri ingenio accommodatius quam factum est a viris Apostolicis, perfectius vero aut emendatius puriusve non posse; ita ut non quidem divinum Evangelium sed humanam divini Evangelii intelligentiam perfectiorem fieri posse censeamus, atque ut fiat omnibus viribus enitendum esse. Quae duo et olim confusa fuerunt et nuper confudit Straussius, qui male negat Sacrum Codicem religionis et Theologiae Christianae normam esse posse. Nec est quod nos moveat ejusdem objectio: etiamsi concedatur perfectam plenamque Christianismi ex Sacro N. F. Codice nos habere posse scientiam, ideo tamen Spiritum divinum in illo non omnino perfecte se manifestasse, sed eatenus tantum quatenus per Christianismum explicetur. Utrum omnino perfecte pleneque in illo se manifestarit Deus non quaeritur; dico *hominibus* perfectius pleniusque Deum se manifestare non posse quam factum est in Christo, quoniam Christus perfectissimus fuit homo. Quod si negat Straussius, neganti incumbit probatio, i. e. quaeritur ut perfectiorem aut fuisse demonstret aut dari posse. Dum hoc fecerit nos Christum perfectissimum hominem esse perhibemus, praesertim cum aut talis aut impostor censendus sit. Nam quod dicit circulum nos committere, ut ajunt, quoniam effata Christi de perfectione sua tum demum vim obtineant si statuamus illum hac de re effari potuisse, i. e. fuisse perfectum, hoc non procedit. Habet enim perfectissimus quisque, si non omnino perfectus sit, imperfectionis suae sensum, estque ille longissime a perfectione remotus qui

---

Das erste Glied der Generationenreihe nach Christus muss das objective Christliche in sich getragen haben, sonst ist das Christenthum gar nicht in die Welt gekommen. Es ist aber in die Welt gekommen. Allso hat jenes erste Glied das ursprünglich Christliche sicher gehabt."

cum imperfectus sit nihil sibi ad perfectionem deesse credat [1]. Novi equidem et Straussium et reliquos istos historiam Christi et σημεῖα καὶ ἔργα, quibus Filium Dei et Christum se probavit, in dubium vocare; at numquam obtinebunt ut in illorum systematis gratiam certissima et fide dignissima testimonia recusemus, aut crisi illi ἀκρίτῳ calculum adjiciamus. Imo, sic potius statuimus: verum esse non posse quod cum rerum veritate tam aperta fronte pugnet [2]. Nihil ergo obstat quominus tali Theologia Biblico-Christiana, quam dudum desideramus, aliquando gaudeamus. Nec frustra fuit aut a Dissertationis meae argumento alienum quod de hac exspectatione nostra aliquanto fusius egerim. Meritorum enim laudumque Limborchii summa in eo constare mihi videtur quod talis Theologiae condendae rationem monstrarit, occasionem pararit, fundamenta jecerit. Nova illa Theologia Limborchianam hactenus antecellet, quod plenius, perfectius, constantius Limborchii coepta exsecutura sit quam ab ipso

---

[1] Conf. Ullmann, Polemisches in Betreff der Sündlosigk. Jesu, in: Theol. Stud. u. Krit. Jahrg. 1842, 3tes H. S. 695—701. Belgice in: Bijdr. van buitenl. Godgel. D. IV. 1ste St. bladz. 212—218. Caeterum Jesus his in terris *humane*, i. e. non absolute uti Deus, perfectus bonusque fuit, quod Ipse profitetur Matth. XIX, 17, quo effato abutuntur adversarii. Conf. Ullmann, l. laud.

[2] Testimonia certissima cum dico non tantum scripta primaeva intelligo quae Codice Sacro N. F. continentur, verum et haec et monumentum illud aere perennius, Ecclesiam Christianam, quae testatur Jesum Christum et conditorem suum fuisse et conservatorem et vero etiamnum praesentem ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει sibi adesse. Corpus in terris videmus vivum animatumque; caput ad coelum pertinet estque nubibus obtectum. Si vero Christus, Ecclesiae caput, non viveret, corpus mortuum jaceret. Praeter illa quae hac de re scripsit Ullmann, ὁ πάνυ, conf.: Die spekul. Dogmatik von Dr. Dav. Friedr. Strauss, erster Band, geprüft von Dr. Karl Phil. Fischer, Tübingen, 1841, S. 9, 10, 11.

factum est, et pro illorum temporum ratione fieri potuit. Scilicet verum vidit Limborchius; nostri demum homines quale illud sit et cur verum sit intelligunt, ideoque inventi veri sibi sunt conscii.

§ 2. *Limborchii Theologia fuit Practica.*

Limborchius in praefatione ad Theologiam suam: »quoniam, inquit, doctrina Christiana est cognitio veritatis secundum pietatem, in tradendis virtutibus Christianis prolixior fui. Quarum amore ut tanto fortius lectorum meorum animos imbuerem, singulorum dogmatum tractationi multiplices illorum usus et quos habeant ad pietatem respectus plerumque subjunxi: ratus scientiam, etiam abstrusissimorum mysteriorum, absque pietate nullius apud Deum esse pretii; imo quanto exactior obtigit scientia, tanto gravioris condemnationis fore causam, si destituta sit studio pietatis." Practicam igitur Theologiam profitetur Limborchius. At hoc quidem cum caeteris tantum non omnibus illi commune est; certe contrarium haud scio an nullus umquam Theologus de systemate suo affirmarit. Illud Limborchio magis proprium fuit quod Theologiam pure pute practicam scientiam esse dixerit, quoniam ultimus illius finis sit praxis; adeo ut quidquid nullam ad Dei cultum relationem habeat nec Theologiae pars, nec scitu necessarium sit [1]. Et certe, quemadmodum quaevis intelligentia in actu demum aut agendi voluntate, omnisque doctrina in arte agendique praeceptis recte terminatur, et curtae nescio quid semper abest theoriae nisi ad praxin pertineat, sic Theologia, quae ex sensu

[1] Lib. I, c. 1, § 5. Conf. cum his Quenstedti Theol. Part. I, c. 1, Sect. 1, Thes. 29 sq. et Sect. 2, Quaest. 3; nec non Joh. Marckii Compend. (Amstelaed. 1690) Cap. 1, § 28.

religioso vitaque Christiana tamquam efflorescit, summa sua laude et praestantia spoliatur, ubi ad vitam sapienter et sancte instituendam adque sensum religiosum excitandum alendumque illam reverti non patimur. Laudamus igitur Limborchii consilium, praesertim cum prudenter et apte illud exsecutus sit. Non tantum multorum dogmatum usus diligenter et accurate indicat, verum in capitum doctrinae delectu habendo sic studio practico indulsit ut, cum nulla praetermiserit, de illis egerit copiosissime quae vitam et praxin proxime contingunt [1]. Nec dubito quin haec inter praecipuas fuerit causas cur de multis locis ab aequalibus dissenserit, vel, ut verius dicam, cur multa in Sacro Codice aliter et, me quidem judice, melius intellexerit quam vulgo fiebat. Nam cum Sacra Scriptura et quod illa continetur Evangelium totum sit ad praxin et vitam compositum, ut plene intelligatur ingenium in interprete practicum requiritur [2].

Nostris diebus vir summus C. I. Nitzsch Systema Christianae doctrinae edidit, quo omnem Theologiam, et dogmaticam et ethicam, ita complexus est, ut non tam conjunxisse quae per se essent separata, quam non separasse quae per se sint conjuncta dicendus videatur. Simile Limborchii fuit institutum, praeterquam quod

[1] In praefatione hoc profitetur de Praedestinatione. Conf. etiam Lib. II, c. 23: *de intellectu et voluntate hominis*, et c. 28—31: *de providentia Dei circa peccatum*.

[2] Vir doctissimus De Wette in praefatione ad compendium suum (Lehrb. der christl. Sittenl. u. s. w. Berlin 1833): »Die Erfahrung hat mich gelehrt, dass nichts so sehr, als die Einsicht in das Wesen und die Bedingungen der christlichen Sittlichkeit, den gelehrten Theologen befähigt, den Geist der Bibel richtig zu fassen und die Glaubenslehre in rechtem Sinne zu behandeln, und dass auch nichts so sehr die fruchtbare, praktische Behandlung der Bibel und der Glaubenslehre befördert."

hujus Theologia systematico ordine scripta non est; est tamen ordine. Libro primo inquirit in fundamentum et normam religionis; ita ut probet esse Deum quem colere homines possint debeantque, tum modum quo Deus coli velit descriptum esse in Sacra Scriptura, praesertim in N. F. libris (vid. § 1). Dein (Lib. II) docet qualis ille sit quem colimus Deum, i. e. qualem se nobis revelarit, porro quales nos simus qui Illum colere debemus et qualis sit Dei, qui res omnes creavit et gubernat, ad nos relatio. Pergit (Lib. III) ad enarrandum qualem Deus variis temporibus cultum sui ab hominibus observari voluerit, pro varia ratione qua illis se manifestarit, atque exponit Deum semper beneficiis homines primum sibi obstringere, tum foedus cum illis inire et conditiones ponere quibus beneficiorum illorum plenam usum fructumque sibi acquirant; summum Dei beneficium esse redemtionem nostram per Christum; quam quomodo perfecerit Christus fuse explicat. Liber quartus est de ratione qua Deus singulos homines in summi illius beneficii communionem vocare decrevit. Et haec quidem omnia paginas 873 explent; Liber quintus, quo agitur de iis quae in nobis requiruntur ut divini beneficii participes fiamus, ad paginam 689 pertinet, itaque solus quatuor praecedentium molem tantum non pensat. Adjungitur (Lib. VI) descriptio beneficiorum quae divinitus per Christum Christianis, qui ex Evangelii praeceptis Deum colant, contingunt. Denique (Lib. VII) agitur de illorum, quos ad beneficiorum illorum communionem vocavit Deus, societate officiisque mutuis [1]. Habes brevem totius operis delineationem, quam huic paragrapho inserendam censui,

---

[1] Hac parte, praeter alia, egregia continetur ad Evangelii ministerium institutio.

quoniam non tam probare mihi videtur Biblicam esse Limborchii Theologiam (quod cum aliunde constet ex hoc quoque conspectu effici potest) quam Practicam. Tum illud quoque lectores attendere velim quam apud Limborchium arcte cum doctrinae expositione praecepta cohaereant, quae non, ut vulgo fiebat, tamquam decalogi explicationem aut additamentum proponit, sed ex Evangelii natura et indole deducit. Equidem satis mirari non possum quid virum celeberrimum De Wette moverit ut Arminianis, et nominatim quidem Limborchio, hoc prae caeteris peculiare fuisse diceret, quod praxin a fide aptam esse noluerint[1]. Bene factum quod Limborchii verba exhibuerit vir doctissimus, e quibus quid rei sit attentus lector facile viderit. Scilicet si praxin intelligas non Christianam, fidem vero Christianam, omnino dicendum est sic censuisse Limborchium: posse aliquem ob praxin laudandum esse qui fidem non habeat; quamvis omnem etiam Ethnicorum virtutem ad fidem, non quidem Christianam, fidem tamen, referat. Pietatem vero et praxin Evangelicam absque fide Evangelica nullam admittebat. Sed generalem quandam pietatem statuebat, quae in Socrate, Phocione, Aristide, Stoicis fuerit conspicua; illam ad salutem aeternam non sufficere, Deo tamen probari; occasiones piis illis Deoque probatis viris mediaque non raro divinitus subministrari quibus ad fidem, et per hanc ad summam salutem perducantur, quale exemplum in Cornelio habeamus (Lib. V, c. 3, § 5 et 10)[2]. Sed ut

---

[1] Lehrb. der christl. Sittenl. u. der Gesch. ders. Berlin 1833, § 189: »Die Arminianer legten in der Glaubenslehre auf die Sittlichkeit viel Gewicht und machten sie vom Glauben unabhängig.'' In nota laudat Limborch Theol. Christ. L. V, c. 3, p. 379 (§ 5).

[2] Magnum igitur ab hac etiam parte inter Remonstrantium et Socinianorum sententiam discrimen fuit; hi nempe sic statuebant: in omnibus

luculentius etiam quae fuerit Limborchii de pietatis Christianae cum fide necessitudine sententia appareat, ordine atque ipsius potissimum verbis illam proponendam censeo.

Liber quintus Theologiae Christianae est de praeceptis Novi Foederis. Foedus illud duabus partibus constare ait Limborchius: stipulatione officii ab homine, promisso salutis et poenae comminatione (c. 1, § 1). Jam vero statim ad officium hominis s. cultum quem Deo debet in genere considerandum se convertit, et per capita duo prima quae sint pietatis non tam Christianae quam humanae fundamenta indicat; ad caput tertium diserte monet se primum in genere de natura actionum moralium agere, non de cultu qui Deo ex N. F. debetur; capite demum quinto ad specialem virtutum Christianorum considerationem accedit. Fateor quaedam in quatuor his capitibus occurrere Christiana; pleraque tamen ad hunc librum, qui est de praeceptis N. F., non pertinent, eaque rectius ad Anthropologiam, quae Lib. II, c. 23 legitur, retulisset Limborchius. Nos tamen illius ductum sequemur. In officio hominis, s. cultu quem Deo debet, duo consideranda sunt: illius norma et cultus ipse. Normam primariam constituunt praecepta Dei, quae sunt vel juris naturalis, vel positivi (ceremoniae etc.). Lex Dei naturali juri innixa vel est naturalis (recta ratio), vel revelata. Revelata eadem revera est cum lege naturali; non tamen

hominibus naturaliter esse aliquod justi atque injusti discrimen; hoc autem nihil aliud esse, quam Dei verbum quoddam interius, cui qui obediat, ipsi Deo obedire, etiamsi alioqui ipsum Deum ne esse quidem aut sciat aut cogitet. Verba sunt Fausti Socini, Praelect. theol. c. 2, quae vide apud De Wette, l. laud. S. 177. Conf. Strauss, die Christl. Glaubensl. u. s. w. 1ster B. S. 96 fg. — Itaque cum grano salis accipiendum est quod ait Vir clar. L. G. Pareau in: Init. Institut. Christ. Mor., Groning. 1842, p. 29: »Socinianis in re ethica non dissimiles postea fuere Remonstrantes."

fuit supervacanea, tum quia lex naturalis per hominum malitiam obscurata erat, tum quoniam nec perspicua satis est nec satis validam habet ad peccatores coercendos auctoritatem; nihil vero praecipit lex revelata quod lex naturalis non statim ac audiat approbet. Praecepta legis varii sunt generis; complectuntur autem actus tam internos quam externos; idque sic ut si internus praecipitur intelligatur etiam externus quo se manifestat, et vice versa sub externo internus cujus est manifestatio (c. 1). Interna actionum nostrarum regula est conscientia, estque proxima, cujus interventu lex divina nos ad obsequium flectit. Non est actionum nostrarum lex suprema sed subalterna; habet enim legem se superiorem, a qua tamquam norma sua dirigitur, divinam nempe; haec cum pro diversa Dei revelatione admodum varia fuerit (i. e. magis minusve explicita), semper a conscientia quatenus eam apprehendit omnibus actionibus applicatur. Tenetur homo conscientiae suae dictamini, h. e. legi divinae sibi cognitae, obtemperare. Omni studio enitendum est ut conscientia recta sit (non erronea aut dubia), i. e. legi divinae et evangelicae conformis; quamvis enim homo judicium conscientiae etiamsi erronea sit semper sequi debeat, non tamen vacat a peccato qui conscientiam erroneam sequitur (c. 2). Ut actio moralis sit debet esse libera. Opus bonum est quodcunque normae suae, i. e. legi divinae s. naturali s. revelatae, congruit. Bona vero opera quae in Evangelio exiguntur ex fide propositoque Deum et Jesum Christum colendi proficiscuntur (c. 3). Capite quarto de peccatis agit. — In Novo Foedere omnia nostra officia nomine *Fidei* ac *Resipiscentiae* exprimuntur. Fides denotat assensum firmum, conjunctum cum rerum promissarum desiderio et includentem obedientiam divinorum mandatorum. Fidei voce denotatur obedien-

tia Christiana per metonymiam quia fides est causa totius obedientiae nostrae; tum quia haec vox exprimit facilem esse conditionem salutis et Deum non tam aequalem sanctitatem sed aequale sanctitatis studium postulare, cum fides non in omnibus aeque firma esse possit; porro quoniam fides, quippe quae gratiae divinae habetur hominum obedientiam praevenienti, omne meritum excludit; denique: quia fides semper respicit in Deum, tamquam primum salutis nostrae fontem, fidei itaque appellatione obedientiam nostram venire vult Deus, quia ea pietate, quae in ipsum, ut salutis fontem, respicit, praecipue delectatur. Resipiscentiae voce obedientia nostra exprimitur, ut respectus habeatur ad statum nostrum priorem; ut igitur et summam esse Dei erga nos peccatores gratiam et nullum nostrum meritum esse pateat, et innuatur nos propter peccati vim, cui antea assueti fuimus, numquam in hac vita ad plenam perfectionem pervenire, quin summopere curandum esse et vigilandum ne in illud relabamur; tandem ut stipulationis divinae aequitas appareat; quid enim aequius quam ut nos ex gratia liberati, caussam miseriae nostrae, peccata et iniquitatem deseramus? (c. 5). Virtutes Christianae speciales sunt vel intellectus vel voluntatis. Ad prius genus pertinent Scientia, ea scil. cujus objectum sunt res ad aeternam salutem spectantes, quaeque efficax et practica esse debet (c. 6); et Prudentia qua media optima ad optimum finem (i. e. Dei gloriam nostramque et proximi salutem aeternam) eligimus (c. 7). Virtutes voluntatis primariae sunt fides et resipiscentia, quibus reliquae continentur (c. 8, § 1). — Nos de singulis illis Evangelii praeceptis disserentem Limborchium mittamus, ne longiores simus. Illud vero postulat instituti nostri ratio ut de iis quae exhibuimus pauca addamus. Et nemo non videt ordinem quo Limborchius rem proponit

satis turbatum esse. Capite enim quinto nos docuit omnia Christianorum officia in fide ac resipiscentia consistere; hic vero (c. 8, § 1), postquam de virtutibus intellectus dixit, rursus ad fidem et resipiscentiam recurrit, quibus omnes voluntatis virtutes contineri dicit. Auget confusionem quod infra etiam (Lib. VI, c. 4, § 22 sqq.) de fide agit tamquam medio in nobis ad justificationem requisito, ibique denuo satis fuse eam describit. Aut fallor aut cum in aequalium de fide sententia multiplicem agnosceret errorem, ipse tamen verum per intervalla potius vidit quam uno obtutu complexus est. Hinc nec semper sibi constat et interdum ea dixit quae, nisi cum aliis de eadem hac re effatis componantur, mirum sonant durumque. Profecto aequum est nos semper meminisse antiquos Remonstrantes primos fere fuisse qui Theologiam Dogmaticam ex Scholastica Evangelicam facere conarentur, itaque illos facile in nova quam ingrederentur via offendere aut errare aut pede minus firmo procedere potuisse; quod nisi fecerimus nullo negotio multa minus prudenter aut constanter aut perspicue dicta ex illorum scriptis excerpere et in nescio quod systema congerere possumus. Quod facere solent qui illos detestandi occasionem quaerunt. Qui vero de illorum conatibus, i. e. de recentioris Theologiae originibus initiisque, e vero existimare cupit, illa potius diligenter conquiret quae in eorum scriptis praecipua sunt et vere prudenterque monita. Limborchii de fide sententia, ut ad rem nostram revertamur, procul dubio optime cognoscitur ex illo loco quo data opera illam exposuit, i. e. Lib. V, c. 8 sqq. Fidem igitur sic describit (c. 8, § 5): »non tantum est cognitio et assensus, quo credimus Jesum esse Christum, unicumque a Deo Salvatorem constitutum omnium qui ex Evangelii praescripto vitam instituunt; sed etiam fiducia, qua in ipsum

ut Prophetam, Sacerdotem et Regem nobis a Deo datum recumbimus, plene persuasi nos, si doctrinae ejus obtemperaverimus, remissionem peccatorum vitamque aeternam per ipsum consecuturos: ex se producens serium et efficax propositum, obedientiam qualem a nobis exegit ipsi praestandi." Cum his conferantur quae dicit Lib. VI, c. 4, § 24, 25, 29: »Objectum fidei qua justificamur dicimus non esse justitiam Christi nobis imputatam, sed totum Jesum Christum, tanquam Prophetam, Sacerdotem et Regem; non tantum ipsius propitiationem, sed et praecepta, promissa et minas; qua itaque totum Christum, integramque ejus annuntiationem omniaque beneficia salutaria amplectimur, in illum tamquam Prophetam, Sacerdotem et Regem credimus, ipsius doctrinam tanquam divinam recipimus, in ipsum spem ac fiduciam nostram collocamus, et ab eo tamquam unico nostro redemtore vitam aeternam ea ratione ac conditione, qua nobis eam promisit, sine ulla dubitatione exspectamus." Haec vero fides et ipsa est actus obedientiae nostrae, quem Deus nobis praescribit, et quem liberrime Deo praestamus, et obedientiam omnium Dei praeceptorum ex se producit (ibid. § 30). Hactenus, si nempe omne meritum et commentum de habitu infuso abnegetur, vere dicunt Pontificii justitiam inhaerentem requiri, ut justificationem a Deo consequamur (ibid. § 12); i. e., uti ex antecedentibus facile efficitur, requiritur non nuda quaedam fiducia velle Deum justitiam Christi nobis imputare, quod nusquam his saltem verbis aut ea qua vulgo accipitur significatione docet Sacra Scriptura, sed et fiducia in misericordiam Dei quae nobis in Christo manifestata est, et serium et efficax obedientiae propositum; verbo, requiritur ut nos cum fiducia totos Christo et per Christum Deo tradamus et committamus; sic primum justi declaramur

et tamquam justi tractamur, dein ope divina revera etiam justi fiemus (Lib. VI, c. 4, § 4). Haec docuit Limborchius; huic tamquam fundamento Ethicam suam imposuit [1].

Straussius (lib. cit. 2ter B. S. 713) graviter eos castigat qui bene agendo et virtutem colendo id spectant ut sibi salutem aeternam acquirant. Egoismi labem iis adspergit quoniam operam dant ut sibi, non ut amicis aut reipublicae aut humano generi, bene sit. Miror virum acutissimum non perspicere nos non posse non omnia ad nosmet referre, ita ut etiamsi vere dicamur aliorum commodo, non nostro, operam dare, tamen revera id faciamus quoniam propter aliorum caritatem nostram felicitatem in illorum commodo consistere sentiamus. Igitur non in universum reprehendendi sunt qui salutem et felicitatem *sibi* quaerant; hoc enim omnes faciunt, nec possunt aliter facere; sed considerandum qua in re salus illa quam quis sibi expetat consistat. Quod moneo, quoniam Straussius Limborchium quoque in partes vocavit [2], qui revera satis constanter docet nos spe praemii ad obedientiam Dei permoveri [3]. Quae verba si recte intelligantur nihil continent quod non est verissimum et,

---

[1] Hinc apparet et non omnino vera esse quae dicit Straussius: die Christl. Glaubensl. u. s. w. 2ter B. S. 492, et quatenus tamen vera sint. Cum Limborchii sententia optime consonant quae scripsit anonymus, qui se non Theologum profitetur, cum potuisset sine ulla mendacii suspicione θεολογώτατον, in: Theol. Stud. u. Krit. Jahrg. 1842, 3tes H., S. 768 fg. Caeterum hic quoque ultro fateor nostro demum aevo Theologos practicam illam Evangelii indolem, quam agnovit Limborchius, recte intelligere.

[2] L. laud. in nota: »was die Theologen gegen obige Beschuldigung von jeher eingewendet haben, z. B. Limborch VI, 1, 13, sind Winkelzüge."

[3] Lib. VI, c. 1, alibi passim. Imo per totam Limborchii Theologiam hoc pertinet. Jam statim initio (Lib. I, c. 1, § 7) religionem sic describit: »est recta verum Deum cognoscendi et colendi ratio, sub certa

Evangelio accommodatissimum. Scil. primum monendum est Limborchium per obedientiam Dei indicare fidem quam Christo Dei Filio habemus, quod apparet ex illis quae supra exhibuimus. Tum per praemium illud intelligit quaevis beneficia quae per Christum nobis divinitus contingant; quorum minima censet quae ad vitam nostram animalem pertinent (Lib. VI, c. 2); sunt praecipua in hac vita: electio, adoptio in filios, justificatio, sanctificatio [1], obsignatio per Spiritum S. (c. 3); tum vita aeterna in coelis, quae est salutis nostrae consummatio (c. 13). Itaque Limborchius hoc vult: nos spe perfectionis et salutis aeternae permoveri ut relictis peccatis Christo totos nos tradamus. Quid Straussio in hac sententia displiceat non intelligo; certe ex ipsius verbis efficere nequeo, sed aliunde conjecturam probabilem fecisse mihi

spe remunerationis ab ipso obtinendae." Necesse igitur habeo de hoc placito fusius paullo exponere.

[1] Egregie disputat de sanctificatione (l. laud. c. 5): »Est perfectior quaedam et continuo augescens filiorum Dei ab hoc impuro mundo separatio (§ 3). Respectu intellectus est uberior ac plenior in divinae veritatis cognitione illustratio; adeo ut Deus fidelium mentes aperiat, ut omnia, quae ad majorem in promissis divinis confirmationem et in pietate profectum ipsos excitare possunt, clare ac evidenter percipiant" etc. (§ 4). »Respectu voluntatis duas continet quasi partes: aversionem ab omni malo, quae peccati odium sub se continet; et ardens studium in bonum. Quia enim animus hominis, cognitione Dei magis magisque imbutus, majore erga Deum amore, ac flagrantiore salutis desiderio accenditur; etiam summo erga peccatum (quod saluti suae obesse novit) odio accenditur: et ad virtutem quotidie alacrior redditur (§ 5). Deus eam homini confert, subministrando auxilium spiritus sui, quo hominem ita corroborat, et in bono confirmat, ut occasiones ad peccandum sibi objici nequaquam patiatur, vel si in illas incidat, eas facile superet, nam *major est qui in nobis, quam qui in mundo est*. Illud solummodo cavendum, ne Deus irresistibili vi, quae cum obedientia libera consistere nequit, hunc ardorem in fidelibus suis efficere statuatur" (§ 6).

videor. Scilicet Straussius in rei summa prorsus Limborchio assentitur; ille etiam perfectionem nostri finem dicit quo omnes nostrae actiones spectare debeant; nec aliter dicere potest nisi humana natura aut quavis potius natura spoliare nos velit, omnis enim ad sui perfectionem suamque salutem (i. e. ut salveat) tendit. Hoc unum interest; quod Straussius putet nos nostris viribus si iis recte utamur hanc perfectionem consequi, s. eo ipso quod recte agamus sponte perfectiores esse neque aliunde aliquid exspectare debere. Nos contra, qui a Summo Numine pendere et actiones nostras et earum successum affirmamus, id quod ille sponte eventurum ait a Dei gratia exspectamus, et vocamus illud obedientiae nostrae praemium s. mercedem, non quasi jure nostro id a Deo postulare possimus, sed quoniam Deus »obedientiam nostram donis illis spiritualibus se gratiose remuneraturum promisit," ut dicam quomodo solebat Limborchius. Vitam illam aeternam consistere ait Limborchius in fruitione Dei, (Lib. VI, c. 1, § 13) i. e. in arctissima cum summe et absolute Perfecto conjunctione, qua Deus erit *τὰ πάντα ἐν πᾶσι*, igitur in perfectionis nostrae consummatione. Huic perfectioni, dum hanc vitam vivimus, varia se opponunt quae non sunt in nostra potestate; et *idcirco* falsum est quod ait Straussius: virtutis et beatitatis vocabula synonyma esse debere. Beatus enim ille est cujus perfectioni nihil se opponit. Id vero nescio utrum de se affirmare velit Straussius, nos de nobismet negamus. Est enim in nobis peccati vis, viribus nostris superior nisi accedat Spiritus Sancti auxilium; sunt extra nos vitae incommoda, quae non possunt non animum nostrum turbare; sunt in aliis vitia, quae non possunt non perfectionem nostram quominus feliciter procedat impedire, aut certe ejus fruitionem nobis praeripere. Idcirco salutis, i. e. perfectionis, nostrae

consummationem a Deo exspectamus, idque in vita potissimum quae post mortem est futura. Straussius vero qui decantata ista et dudum explosa Stoae placita nobis pro summa sapientia venditat: sibi sufficere sapientem, nullum praeter virtutem esse bonum, nullumque praeter vitia malum, viderit ne ut antiqui illi ne quidem cum caeteris hominibus consentiens solisque verbis dissonans deprehendatur; aut, si revera opinetur se sibi sufficere et virtute sua se involvere posse, ne aegre ferat nos — non quidem vile nescio quod praemium et sensuum voluptatem aut bona quaedam externa a Deo exspectare, quod Mohammedanorum est non Christianorum, sed — sic cum Limborchio sentire: recte agendo nihil nos proficere, imo ne recte quidem agere posse, nisi Deus fidem nostram et conatus successu gratiose remunerari velit et ad perfectionem nos perducere, quam nostra virtute nobismet acquirere non possumus.

Practicam igitur Theologiam condidit Limborchius, et vero Evangelico-practicam. Licet enim hic illic, praesertim in refellendis aliorum placitis, minus prudenter aut constanter quaedam disputavit, summam ejus doctrinae hanc fuisse apparet: Deum ut nos e peccati miseria et servitudine redimeret non abstrusa quaedam nobis revelasse dogmata, nec nobis ad salutem sufficere si doctrinam quandam ediscamus; sed si ejus participes fieri cupiamus aliquid agere nos debere, non opus quoddam operatum, uti ajunt, quo illam mereamur, parata enim nobis est et oblata; verum requiritur ut Christo fidem habeamus, i. e. nos Christo tradamus et credamus et committamus. Itaque scientia necessaria quidem est, sed per se nihili nisi ad actum fidei nos perducat.

§ 3. *Limborchii Theologia fuit Irenica.*

Non casu factum est aut fortuna quod Systemata illa Scholastico-didactica quae Limborchii aequales condebant polemica fuerint, contra fuerit irenica ipsius Theologia Biblica, ad praxin unice directa. Gravissimas enim controversias Theologi agitarunt non de Theologia proprie et vere sic dicta, quae est docta in Evangelium inquisitio, verum de philosophematibus quae cum Theologia permixta sunt; atque facilius multo inter se conveniunt de eo quod Christiano agendum est, quam de iis quae illum scire debere opinantur. Attamen ne simplicissima quidem et maxime Biblica ac practica in Evangelium inquirendi ratio omnem demere poterit disputandi materiem aut occasionem. Semper de Evangelio dissentient homines, i. e. non tam aliud quam aliter sentient singuli. Esse se cum Deo conjunctos omnes sentiunt homines, qui quidem hoc nomine digni sunt; esse se cum Deo conjunctos per Christum, seu potius in Christo, i. e. quatenus cum Christo conjuncti sint, omnes sentiunt et agnoscunt Christiani, estque hoc proprie quod Christianum facit; sed pro sua quisque indole et fidei modulo varie hujus conjunctionis sensu afficitur, et si vel eodem modo afficerentur omnes, aliis tamen verbis alii id significarent. Cum igitur de pleno perfectoque Christianorum consensu desperandum sit [1], est etiam de Ecclesiae Christianae pace, nisi tandem aliquando in ipso dissensu consensum agnoscere velint homines [2], et intelligere: posse se ἐν τῷ ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ

[1] Hactenus ne inter Apostolos quidem plenus perfectusque fuit consensus; sic fieri potuit ut Corinthiorum alii Petrum, alii Paulum se sequi profiterentur.

[2] Mirum hoc sonat; tamen verum puto. Dissensus esse de rei modo nequit nisi inter consentientes de rei summa. De singulis religionis Chris-

κοινωνίαν ἔχειν Κύριον Ἰησοῦν, atque eorundem beneficiorum participes esse, etiamsi de modo quo Christus sit Dei Filius aut de ratione qua nos cum Deo reconciliarit non conveniant. Quod illis persuadere conatus est Limborchius explicando loco de articulis fundamentalibus, qua in re, uti in caeteris ferme, Episcopii praesertim Curcellaeique vestigia pressit. Ejus sententiam ipsius verbis quam brevissime potero exhibebo.

»Revera unicum est fundamentum salutis, Jesus Christus; 1 Cor. III, 10 sqq. Potest tamen illud, pro multiplici respectu ad opus salutis nostrae, variis modis efferri, et in plura membra dispesci, quae tamen omnia in hac una veritate veluti in centro ad unitatem redeunt. Cumque duo ad salutem Scriptura requirat necessaria, fidem in Deum ac Jesum Christum, et obedientiam seu sanctimoniam spe promissorum divinorum subnixam[1]; ap-

---

tianis capitibus nobis cum non Christianis (Judaeis, Mohammedanis, Gentilibus, Straussio) dissensus esse nequit, quoniam est de tota religione Christiana. Et ne de hac quidem dissentimus cum Feuerbachio; quippe is omnem religionem tollit. Etenim contra principia negantem non datur disputatio. Itaque ipse dissensus consensus est indicium certissimum.

[1] Duo hic observanda. Prius: *tamen* Limborchium articulum fundamentalem formalem, qui dicitur, Scripturae auctoritatem. Attamen jure hoc facit, Scil., ut monui, proprie Christianus est quicunque sentit et agnoscit se *ἐν Χριστῷ* cum Deo conjunctum (s. potius reconciliatum) esse, et vero vult se Christo tradere ut cum Deo reconciliatus sit maneatque. At cum nullam habeamus de Christo certam veramque scientiam nisi ex Sacro N. F. Codice, aut talem certe quae cum Sacro N. F. Codice consonet (qualis est Ecclesiae Romano-Catholicae, quae traditionem, et Mysticorum quorundam, qui lumen internum praedicant), jure negatur is esse Christianus qui profitetur se in rei summa Apostolis et Evangelistis fidem denegare. Conf. Dorneri dissert. supra, § 1, laud. Alterum quod animadvertendum habeo hoc est: Limborchium fidem hic aliter intelligere quam in libro de praeceptis N. F.; vid. supra, § 2.

paret necessaria esse; Primo: Quae Scriptura ad fidei essentiam requirit, adeoque quae in Scriptura clare ac perspicue exstant, addita necessitatis nota; Secundo: Necessaria sunt, sine quibus sanctimoniae studium aut aeternae vitae spes subsistere nequit. Hinc apparet: necessariorum admodum exiguum esse numerum; atque fieri vix posse, ut homo, qui debitam Scripturis exhibet reverentiam, et serio salutis suae studio ducitur, in errorem incidat exitialem." Haec Limborchius (Theol. Christ. Lib. VII, c. 21, § 10—12. conf. ibid. § 3 sqq. et c. 23, § 12). Cujus simplicitatem suaviter ridet Straussius, miratus hominem non vidisse duo haec criteria non semper amice conspirare, imo non raro aperta pugnare fronte[1]. Exempla quoque affert: ex. gr. persuasionem Jesum esse Dei Filium, et e mortuis Illum resurrexisse, quae tamquam fidei fundamenta in Scriptura praedicantur cum tamen parvi sint ad praxin momenti. Itane vero? Rogatum velim Straussium qualem praxin intelligat, utrum Christianam, an generalem quandam omnibus hominibus communem? Si priorem; mira haec est et insolens arrogantia, velle aliquem qui Christianus non est abjudicare quid magni sit ad pietatem Christianam, cujus ignarus est, momenti. Numquam hoc obtinebis, Straussi, ut de talibus judicium penes te esse sinamus. Si vero nos de religione nostra tibi exponere cupis, hoc habe: nos nullam agnoscere pietatem Christianam, nisi in illo qui to-

[1] Strauss, die Christl. Glaubensl. u. s. w. 1ster B. S. 289 fg.: »Diese beiden Kriterien stellten die Arminianer noch unbefangen zusammen, unerachtet sie sich im Grunde widerstreiten." Ad calcem vero operis pro illis *im Grunde* restituit: *in vielen Fällen.* Indigna tanto philosopho inconstantia! Ego, siquidem non omnem mutationem detrectat, auctor illi sim ut in altera libri sui editione pro illis: *unerachtet sie sich im Grunde widerstreiten,* reponat: *da sie doch im Grunde eins und dasselbe aussagen.*

tum Christo se tradiderit commiseritque. Cum autem mero homini, qualis tu es aut nos sumus, i. e. peccatis erroribusque obnoxio, nos cum fiducia committere non possimus, neque a Servatore mortuo vitam aeternam exspectare queamus, ideo haec fidei suae fundamenta ponunt omnes Christiani: Christum esse *τὸν μονογενῆ υἱὸν, τὸν ὄντα εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, τὸν ὁρισθέντα υἱὸν θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, ἐν ᾧ ἐὰν μὴ μείνωμεν, οὐ δυνάμεθα ποιεῖν οὐδέν*. Si vero dicas communem quandam omnium hominum praxin absque ullo ad religionem respectu (quae dici potest, nequit monstrari; nulla enim est pia praxis absque religione); scias hanc non intellexisse antiquos Remonstrantes; quod miror acumen tuum fugisse.

Hanc articulorum necessariorum a non necessariis distinctionem per omnem suam Theologiam pertinere fecit Limborchius, quo factum ut in multorum, qui illum aut non intelligerent aut nollent intelligere, suspicionem criminationemque incurrerit. Maxime vulgaris hominum error fuit, ut putarent, illum dogmata illa non necessaria prorsus non curare et tantum non silentio praetermittenda censere [1]. Contrarium diserte profitetur Limborchius Theol. Christ. L. V, c. 9, ubi postquam docuerat: veram fidem posse esse conjunctam cum errore levioris momenti (§ 19), sic pergit (§ 20, cui inscripsit: *nulla tamen veritas parvi facienda*): »hinc autem perperam quis colligat, credere nos, aliquam veritatem parvi faciendam, aut posse quempiam impune esse negligentem in investigatione veritatis: e contra gravis culpae reum credimus, qui veritati indagandae ad fidei suae majorem confirma-

---

[1] Leg. de multis: Buddeus, Isag. Hist.-Theol. p. 173. Hase in Hutt. Rediv., 4te Aufl. S. 42, n. 15.

tionem pro viribus non incumbit. Sic hortatur Apostolus Hebr. VI, 1, 2: *Quapropter intermittentes*, etc. Sed solummodo, nos neminem propter errorem, qui impietatem necessario non producit, vera fide destitutum, ac proinde a spe salutis aeternae exclusum, pronuntiare audere." Tum per totam suam Theologiam passim de locis admodum abstrusis satis acriter disputat; ita tamen, fateor, ut ad praxin illos referat atque ostendat salva fide et salute de illis posse dissentiri. Hinc nonnulli effecerunt Limborchium iis partibus favere quas errore non exitiali, ut loquitur, errare dicat; quo jure, ipsi viderint; mihi quidem summa haec videtur injuria. Omnino non hoc fuit Limborchii propositum ut controversias e Theologia sed ut schismata ex Ecclesia tolleret; quod vel inde apparet quod omnem hanc de articulis necessariis aut nec necessariis expositionem libro de Ecclesia inseruerit. *Ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ* et ipse conabatur et aliis commendabat; hoc vero non est, uti multis perperam intelligitur, aliquid paci dare, aliquid veritati; sed cum ne latum quidem unguem a vero recedas, aliorum, quos putas, errores ferre. Praeterea meminisse nos oportet neminem in ratiociniis ita felicem esse aut Spiritu Sancto sic *οὐκ ἐκ μέτρου* donatum, ut falli nequeat [1]. Talem igi-

[1] Audiuntur hisce diebus multorum voces urgentium fidem esse falli nesciam, imo, veram vivamque fidem habere neminem posse nisi cui de ejus infallibilitate, ut ajunt, persuasum sit. Id hactenus verum est quod sensus religiosus, uti omnis sensus, per se numquam fallitur. Quod revera sensu percipimus, id revera etiam est. Sic certus esse possum me cum Deo reconciliatum esse, quoniam pacis cum Deo, ut sic dicam, sensum habeam omni dubio majorem. At vero id argumentum usurpare velle de iis quae non sentio, sed ratiocinando effeci, vel etiam absque ratiocinatione, quoniam sic traditum est, tamquam verum accepi, et v. c. affirmare fidem quam habeam Symbolo Athanasiano aut dogmati de Transsubstantiatione extra omne dubium versari, atque in his quoque falli nescium me esse, hoc, si quid aliud, absurdum est et ridiculum.

tur modestiam commendabat Limborchius, et parem quoque prudentiam, ne quis nova semper et inaudita proferendi libidine Ecclesiam turbaret (Theol. Christ. Lib. VII, c. 23, § 5, 6). Sperabat hac ratione omnes certe Protestantes in unam convenire posse Ecclesiam Evangelico-Catholicam; et vero debere illos hoc facere ajebat; etenim qua fronte homines qui ex uno Codice Sacro se sapere profiteantur et nullum agnoscant in terris magistrum falli nescium, qua, inquam, fronte hi formulis suis decretisque antiquum Papatum re et facto in Ecclesiam referrent, se non intelligere fatebatur. »Utinam, inquit (l. laud. c. 8, § 19), tantum apud Reformatos valeret Jesu Christi auctoritas, quantum apud Pontificios auctoritas Papae! Hi enim omnes, licet contrarium sentientes, exinde Papae subjecti esse agnoscuntur, quod ab iis solis se separent, quibus Papa anathema dixit; eorum vero communionem non fugiant, quos Papa Ecclesiae suae gremio recipit. Ita et Reformatos exinde sese genuinos esse Christi discipulos probare oporteret, quod nullis anathema scribant, nisi quos Scriptura manifeste condemnat: reliquos quibus nusquam Scriptura anathema dicit, reverentia supremi Domini sui, qui ex charitate discipulos suos agnosci vult, sincera in Christo charitate tamquam fratres suos complectantur, nec sibi judicium in aliorum conscientias arrogent." Neque illos admittebat qui causabantur se quicunque ex sententia sua errarent non coelo et gratia extorres putare, sed sua tantum communione prohibere (l. laud. c. 22, § 14). Enimvero absurdum hoc est. Aut enim Christianos illos esse putatis, aut non; si prius: non licet vera vivaque Christi membra, etiamsi forte vitio quodam laborent, a corpore abscindere; fovenda potius sunt ut sanentur; si posterius: aperte declaratis illos beneficiorum Christi participes non esse. Si dicitis judicium vos

suspendere; quidni igitur etiam anathema? Haec et similia Limborchius in Theologia sua inque literis ad familiares [1]. Ipse nullius ex Protestantium familiis communionem recusabat. Quamquam enim praedestinationis absolutae, quae dicitur, consequentia placita, si admitterentur, praxi Christianae perniciosissima judicabat, »attamen quia et acerrimos ejus patronos pietatis esse studiosos, salutemque suam cum timore ac tremore operari" cernebat, hunc quoque errorem ferri posse et debere ajebat (l. laud. c. 21, § 16). De Romano-Catholicis fluctuans est ejus sententia. Etenim sibi aliter vix persuadere potuit quam illos idololatriae reos esse, quod crimen cum salutis aeternae spe constare non posse disertis verbis in

[1] Addam: illos quoque errare qui putent sibi licere separatam inire societatem cum iis qui formulis sibi probatis assensum profiteantur. Qualem nuper sententiam me legisse memini hominis, qui perquam ingenue negabat se ullam causam videre, cur Christianorum societati non liceat leges sibi scribere et formulas, quod tamen cuivis ad libros legendos aut simili proposito congregrato sodalitio concedatur. Tam praeclare de Ecclesia Christi sentit id hominum genus! Quasi summus atque unicus ejus Rex, *ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, subditis suis permiserit pro arbitrio leges quas Ipse scripsit suis augere et corrumpere novellis! Nec tamquam normae docendorum admittendae sunt tales formulae; neque omnino verum est consensum requiri doctoris et eorum quos docet. Evangelii minister nullam admittere potest aut debet doctrinae suae regulam praeter Evangelium; atque etiamsi credat talem formulam optime cum Evangelio consonare tamen illam pro norma recipere nefas habebit; fieri enim potest ut postea Evangelium melius intelligat; tum vero non tenetur dissensum suum solenniter profiteri, uti nec antea consensum; nihil enim ad ipsum talis formula. Docere debet quae Christo, non quae ecclesiae suae placeant. Atque si ecclesia errat in doctore requiritur ut ab ea dissentiat. Alioquin Paulus Galatas docere debuisset *ἡμέρας παρατηρεῖσθαι, καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτοὺς*, et Titus Cretenses *προσέχειν Ἰουδαϊκοῖς μύθοις, καὶ ἐντολαῖς ἀνθρώπων ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν*. Hactenus assentior illis quae disputavit vir plur. ven. van Borssum Waalkes: *Opmerkingen en Wenken*, enz. Sneek, 1842, bladz. 7—31.

Sacro Codice docetur. Alios etiam errores gravissimos in illorum doctrina deprehendebat. Itaque passim satis acriter in illos invehitur (ex. gr. Lib. V, cap. 33, § 10 sqq.). Ab altera vero parte toti illorum Ecclesiae anathema dicere detrectabat, cum praesertim ipsi idololatriam se adspernari profiteantur. Maxime ex aequo et vero hac de re pronuntiasse mihi videtur in literis anno 1682 ad Clericum datis: »*Licet gravissimi in Ecclesia Romana vigeant errores, quin et superstitionibus plurimis, quibusdam ad idololatriam manifeste vergentibus, obruta et oppressa sit; sola tamen tyrannis est, quae haec omnia maxime intolerabilia reddit. Si enim nobis aliter sentiendi, a superstitiosis illis cultibus abstinendi, quin et publice id declarandi, libertatem concederet, praestaret omnia quae nos in Ecclesia illa offendunt in ea tamquam infirmitates tolerare. Verum moderationem illam frustra ab Ecclesia Romana exspectamus.*" Caetera vero, inter ipsos Protestantes, schismata, quae sensim exorta sunt, sensim quoque reparari et posse et debere judicabat (Lib. VII, c. 23, § 10). Quamquam enim unionem externam quoque Christianorum in votis habebat, talem voluit quae esset manifestatio unionis internae, **τῆς ἑνότητος τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης.** Talem aliquando futuram esse Ecclesiae Christianae conditionem certo certius exspectabat. In hoc tamquam vaticinio Theologiam suam terminavit; huic spei immortuus est.

Saeculum unum et dimidium ferme alterius elapsum est, postquam militantis Ecclesiae aerumnis turbisque ereptus, atque, si de talibus opinari fas est, in triumphantem susceptus fuit Limborchius. Nos pia vota pro parte non exigua jam rata videmus. Jam Christianos ex variis familiis in eadem aede sacra congregatos, atque iisdem precibus **τὸν πατέρα ἡμῶν τὸν ἐν οὐρανοῖς** adeuntes,

iisdem uno ore celebrantes hymnis τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον, eidemque adsidentes sacrae mensae videre non rarum est. Quod ut sine alicujus offensione fiat, rarius tractantur textus, quibus articuli controversi adstrui ac niti creduntur, aut si tractantur, siletur controversia; aut si memoratur, in ipso dissensu consensus ostenditur.[1] Atque revera pleraque quae inter Protestantes controversa sunt, recte considerantibus ejusmodi esse apparet, ut pudeat nos de talibus lites motas unquam fuisse. Et si vel nonnulla sunt graviora, cogitandum non anathematibus fugari errores, neque ad Synodorum arbitrium se sistere veritatem[2]. Sanam doctrinam non ab hominibus litigiosis, ambitiosis, quovis potius spiritu quam Sancto agitatis, sed ab iis unice exspectamus qui precando et quaerendo rem

---

[1] Conf. Limb. Theol. Christ. Lib. VII, cap. 25, § 10. Caeterum brevis hic esse possum. Copiosissime enim hunc de Ecclesiae pace atque unione locum explicavit, laudavitque viros auctoritate graves qui eam suadeant, pater meus, V. Cl., in Memorab. Sem. Rem. p. 249—290.

[2] J. H. W. Witschel, in epistola ad Christianos (Morgen- und Abendopfer, neunte Ausg., Sulzbach 1828, S. 303 fg.):

»Sprecht, was trennet euch?
»Nicht das Helle, nur das Dunkle, Christen,
»Nur die Finsterniss und nicht das Licht. —
»Keiner wird die Morgensonne läugnen,
»Wenn sie aus der Purpurwolke bricht.
»Ward es heller, als die Väter stritten
»Ueber Logos Homoousios? —
»Ist's entschieden, was Konstantinopel
»Schon im vierten Seculum entschied? —
»Glaubt die Welt, was einst Cyrillus lehrte,
»Der den Kaiser und das Reich belog;
»Und zu Ephesus durch List und Ränke
»Alle Christen um ihr Recht betrog?
»Ward es Licht in Jesu zwei Naturen
»Durch das Reichsvandal zu Chalcedon?« u. s. w.

agunt. Caeteri multa movent, nihil promovent. Non est cur de illorum successu deque Ecclesiae Christi salute desperemus. Neque Straussii vaticinium nos terret ejus interitum canentis, aut omnes certe qui supra vulgus sapiant illam mox derelicturos esse. O augurem verum ridendumque, nisi quod miserandus est! Qui ne hoc quidem intelligit alia omnia portendere hosce dies, quibus homines diu multumque jactatos in Ecclesiam Christi refugere videmus[1]. Caveant modo ne nimio Ecclesiae, tanquam corporis Christi, amore sic detineantur ut capitis, Christi, oblivio eos capiat. Non in Ecclesia sed in uno Christo salus, et hactenus in Ecclesia quatenus cum Christo est conjuncta et ad Christum nos ducit. Aliud vero *περὶ τοῦ Χριστοῦ* Evangelium non novimus neque recipimus quam quod ab Apostolis traditum habemus[2]. »Hoc

[illegible]

[1] Vanitatis Straussii et coecitatis specimen vide in: die Christl. Glaubensl. u. s. w. 2ter B. S. 531, in nota: »Zwar hat auch die moderne Zeit eine heilige Geschichte, in ihrem (d. h. im politischen) Sinne, von welcher an man auch eine neue *aera* gezählt hat. Sofern jedoch der moderne Geist keiner einzelnen Geschichte absolute Bedeutung zugestehen kann, ist die neue Zeitrechnung mit Recht wieder abgekommen; statt deren die alte als unentbehrliches gewordenes chronologisches Hülfsmittel füglich fortbestehen mag.« — *Καλῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐλάλησε διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου· Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε!*

[2] Hactenus adsentior censori in: Allgemeines Repertorium, von Prof. Dr. H. Reinwald, 39er B., 1stes H., S. 41 fg.: »Sichtbarlich ist nach der Reformation das Licht unter den Scheffel zu stehen gekommen, und dass insbesondere die heutige Zeit das Verständniss von der Macht des Schriftprinzips verloren hat, liegt am Tage. Wenn nun das Christenthum eine Entwicklung hat, so kann die neue Periode, bei der wir angekommen zu seyn scheinen, nicht von dem Prinzip der Kirche ausgehen, denn dieses ist schon einmal geschehen; vielmehr muss das Prinzip der Schrift, welches, seitdem es entdeckt ist, nur im Verborgenen gewirkt hat, nun auf den Leuchter gestellt werden und erst in die Periode seiner offenba-

est Christum cognoscere, beneficia ejus cognoscere;" et hoc est Christianus esse, Christo se dare. Quod quicunque fecit, Deum ille patrem, fratrem habet ille Christum; absit ut nos ejus communionem aspernemur ni formulis humanis se mancipare velit. Haec omnis religionis pariter ac Theologiae summa est; haec omnium Christianorum tessera esto. Sic una esse poterit Ecclesia, vere Evangelica, vere Catholica, quae omnes Protestantes, mox Catholicos etiam, qui se dicunt, complectatur. Nam ut multa ex Pontificiorum institutis, doctrina, moribus servarint Protestantes, quae rejicere satius fuisset, nonnulla tamen rejecerunt quae servari oportuit; quorum instauratio pacis cum illis quoque ineundae occasio esse possit. Caeterum summa rerum καὶ χρόνοι καὶ καιροὶ penes Christum sunt. Nostrum est Illum praestolari, et quo Illius dies propior nobis abesse videtur, eo diligentius operam dare ut voci obsequamur, quae per volventia saecula supra hominum turbas et clamores fortius semper aures nostras personat: μετανοεῖτε!

---

ren Herrschaft eintreten." Audiant Germani praesertim Germaniae praeceptoris, Melanchthonis, vocem, qui in epistola ad Plettenerum Locorum Theologicorum editioni primae praemissa: »fallitur, inquit, quisquis aliunde Christianismi formam petit, quam e scriptura canonica."

APPENDIX A.

(*Vid. p.* 17).

Beminde Soon Aengaend het dispuijt dat ghij en D. Geesteranus met eenighe studenten gehad hebt, can ick niet veel segghen, also ghij mij weijnich daer van schrijft. Onthoud altijt dit, dat ghij u mijd van hevichheyt in 't disputeren, en sulcke woorden mijdt die aenstotelyck sijn; ten twede dat ghij u niet inwickelt in scholastique termen, die buijten de maniere van spreecken der H. schrifture sijn. Leert heur termen wel verstaen maer wickelt u daerin niet. So als ick sit en dit schrijve so comt Frans van Hemert en brenght mij u brief daeruyt ick verstae dat ghij wederom tsamen een dispuijt sult hebben; laet die dispuijten niet alte veel geschieden, en alsse geschieden laetse niet al te langh duren, en alsse stercker comen als ghij in getale sijt so staektse; ghij weet niet wat listichheyt dat sij souden gebruijcken om d'eene of d'andere lack u optelegghen; en begeeft u niet bij avond op straet. Gedenckt wat laghe u oom Bisschop de professor salr. geleijt wierd [1]; men cant met thuijs blijven voorcomen. Sij sijn bitter en souden wel meenen dat sij God een dienst deden als sij u werck en arbeijt en onse intentie so conden onvruchtbaer maecken; gaet noyt bij haer te gast, mijt alle maeltijden, so connen sij minst quaet doen. Weest van u

---

[1] Scelestas intelligit Sibrandi Lubberti machinationes, qui aliquot ex suis discipulis subornaverat ut Episcopium in coenam vocatum largiori potu inebriarent, et dein domum illum deducentes lapidum jactu fenestrarum vitra confringerent. Cum praefecto vigilum transegerat ut ex hac insolenti turba ebrium Episcopium solum comprehenderet; quo sic infamis pronuntiatus in posterum omni ministerio Ecclesiastico redderetur inutilis. Sic rem narrat Limborchius in epistola ad Olivarium Doiley.

Moeder mij en alle uwe broeders en susters seer gegroet en Gode in genade bevolen. In haest

Desen 12n Decemb. 1653 in Amst. U Vader Frans van Limborch.

Seer Beminde Ouders Gisteren heb ick met Niepoort geweest in de catechisatie van Lodesteijn, dewelcke catechiseerde over 't Priesterlijck ampt J. Christi; en seijde dat de leere der Remonstranten daer van alleen dese was: dat Christus gekomen was om een nieuw Verbont op te rechten, en dat Godt door het lijden Christi recht gekregen had om met de menschen op nieuw te mogen handelen; waer tegen hij met schriftuurplaetsen bewees dat Christus oock gekomen was om voor onse sonden te sterven, en ons met Godt te versoenen. Uyt de catechisatie komende, gingen wij t'sijnen huijse, en vraeghden of hem beliefde ons te toonen waer de Remonstranten sulx leerden, dat wij noijt geweten hadden dat dat haer gevoelen was. Hij antwoorde, Episcopius leert dat tegen Heijdanus. Wij antwoorden dat het wel waer was dat de Remonstranten dat leerden, maer dat dat niet al was wat sij leerden, maar dat sij meer seijden. Hij ontkende doe geseijt te hebben, dat de Remonstranten dat alleen leerden, en seijde voorts dat hij wel wist dat sij oock seijden dat Christus doot ons een exempel was om nae te volgen. Waer op ick seijde, de doot Christi voor sooveel sij een exempel is om nae te volgen behoort niet tot sijn Priesterlijck, maar Prophetisch ampt: en toonde doe voorts dat de Remonstranten leerden, dat alle onse sonden oock inderdaet door Christi lijden versoent waren. Waer op hij seijde dat de Remonstranten soodaenigen versoeningh niet en stelden als sij luijden: en daer vielen doe eenige dispuijten over die gevoelens. Wij waren omtrent twee uren bij hem, en in 't scheijden versochten wij dat hij ons geliefde te excuseren dat wij hem soo langh opgehouden hadden. Neen, seijde hij, gij sijt mij lief en aengenaem. Ick hebbe mij met voordacht gewacht dat ick niet hevigh maer met een besadicht gemoet tegen hem gesproocken hebbe. Hier mede sijt Gode in genaede bevolen, en met U. E. gantsche familie van herten gegroet. U. E. onderdaenige Soon

Philippus van Limborch.

In Uijtrecht desen 22 Febr. 1654.

Ex literis Limborchii ad patrem suum, datis Ultraj. 26 *Martii* 1654.

Van 't recht dat de magistraet heeft om sessie te nemen in de kercken-raet, seijde Voetius, dat sulx de Magistraet niet toequam. Waer tegen ick inbracht, en liet hem sien de kerkelijcke Ordinantien van 't jaer 1586 in 's Gravenhage gemaeckt ten tijde van Leijcester, alwaer de Magistraet sulx toegelaten wort. Waer op hij antwoorde, dat in die tijt suspicie was dat de classen iets souden mogen bij der hant nemen tegen den staet van 't lant, gelijck ons alle wel bekent is, dat de Staten haer doe tegen de Leijcestersche kanteden, en datter veel Predicanten Leijcestersch gesint waren: en in sulcken geval, wanneer der suspicie valt van oproer, dan staet het de Magistraet vrij in de kercken-raedt te sitten. Ick allegeerde oock de Kerckelijcke Ordonnantien gemaeckt t' Middelburgh in 't jaer 1591, en te Dordrecht 1619 alwaer 't selfde toegestaen wert. Voetius antwoorde dat dat maer een repetitie was van 't jaer 1586. Ick infereerde dat het dan volgens die Ordinantien de Magistraet geoorloft was sessie in de Kercken-raedt te nemen. Hij seijde dat die van Leijden en Enckhuijsen (nae mijn onthout) van die tijt af dat gedaen hadden, maer de Magistraet van Amsterdam heeft dat eerst begonnen te doen in 't [jaer] 1630 dat heel nieuw, en daer oock geen reden toe was. Ick seijde dat de Magistraet doe ter tijt langh verdragen had de oproerige predicatien van Smoutius, en dat de Kercken-raedt hoe seer sij vermaent wiert geen censuren daer over wilde doen, dat oock de stadt doe ter tijt geheel in oproer was, soo dat de Magistraet genootsaeckt wiert in de Kercken-raedt te gaen sitten. Van Smout antwoorde hij niet een woordt, maar seijde wat op de sententie van Jan Willemse Boogaert, dat die gefondeert was op een sobere belijdenis: seijde voorts dat Boogaert een goed eenvoudich man was, die versocht sijnde om mede een request te praesenteren aan den Prins en de H. H. Staten, sonder verder van de saeck te weten, dat alles aengenomen had. Ick seijde, Mijn heer heeft oock geseijt dat het Libertijnsche guijten waren die doe ter tijt sessie in de Kercken-raedt genomen hadden. Wat heb ick geseijt? seijd' hij. Ick repeteerden 't. Neen, seijd' hij, dat heb ick niet geseijt, maer ick heb geseijt dat het Libertijnsche guijten waren die de Magistraet daertoe ophitsten; gelijck het oock in der daet Libertijnsche guijten waren, noch Gereformeerde, noch Remonstranten, noch Mennisten, noch Luijtersche, noch Papisten, die de predicanten in Comedien publijck op 't tooneel brachten, gelijck Vondel, die nu paepsch is, en nu onlanghs om een godtloos spel dat hij gemaeckt

heeft uijt de stadt gevlucht is: die heb ick geseijt dat Libertijnsche guijten waren, en niet de Magistraet van Amsterdam. Ick seijde voorders, Wel mijn heer heeft geseijt in precibus post concionem, esse semiantichristianam tyrannidem si magistratus istam potestatem usurpet. Imo (inquiebat) verum est; ego soleo istud vocare politicum antichristianismum. En daer begon hij weder van de macht die [de] Magistraet in Kerkelijcke saecken toequam te spreecken: en seijde dat de Magistraet geen stem mocht hebben in 't beroepen van predicanten, als alleen ten dien opsicht, dat de predicant een burger van haer stadt sal wesen: anders indien de predicant buijten de stadt kon sijn, dat de Magistraet in sijn beroepingh niet te seggen soude hebben. Maer nu als de Magistraet verklaert dat de predicant die beroepen is geen goet burger van haer stadt kan wesen, dat hij dan de beroeping verhinderen kan; en dat om die oorsaeck ook de Magistraet den predicant uijt de stadt mach setten: allegeerende 't exempel dat in 't jaer 1581 te Woerden geschiet is aen een Luijtersch predicant.

Seer beminde ouders Voorts soo laet ick U. E. weten, dat ick van daech eens publijck in de Academie geopponeert heb, aengaende de meeningh van onse Apologie over 't stuck van de staet der sielen nae 't scheijden uijt het lichaam voor het laetste oordeel. Onse Apologie seijt dat het niet noodich is daer van iet te definieren, en bewijst het met het exempel van Calvin; 't welck oock bijgebracht wert in de antwoort op de proeve Heijdani over de 100, 101, 102e vrage van onse Catechismus: sij seijden dat de plaets Calvini ter quader trouwen bijgebracht waer: ick beweerde contrarie; maar sij en gaven geen antwoort dat docht, ja ontkenden dingen die ick haer uijt Calvin voorlas; doch alsoo sij op de stoel stonden, en in haer Academie waren, most men 't evenwel quanswijs gewonnen geven: sij seijden dickwils dat Calvin op andere plaetsen anders sprack: ick antwoorde, niet te willen handelen van 't geen Calvin elders seijde, maar dat de quaestie over dese plaetse was, wat hij hier seijde. Het duurde al redelijck langh en 't was maer seggen over en weder, sij seijden telckens het zelfde, dat men wel van Calvins meeningh verseeckert was: ich seijde, laet het soo sijn, de quaestie is niet van de waerheijt van de saeck, maar alleen of 't noodich dit of dat te stellen; 't welck de Apologie ontkent, en bewijst met 't getuijgenis Calvini. Dit latende varen tradt ick tot een Corollarium, alwaer in stondt, dat Episcopius seijde in sijn eerste predicatie over Joh. 17. 3. pag. 25. dat door den eenigen waerachtigen Godt verstaen

wiert den Vader in sijn persoon aengemerckt, gestelt tegen Christum als sijnde een gesant Godts, en een gedetermineert rijck en een bepaelde macht hebbende. Ick versocht dat mij die plaets getoont soude werden, alsoo ick die in de geheele predicatie niet kost vinden. Doen 't al om quam, trock men 't daer uijt, omdat Episcopius wil hebben dat mèn de woorden Christi alsoo moet lesen: *dat sij u kennen die daer sijt den eenigen waerachtigen Godt*; want stelt hij den Vader tot den eenigen waerachtigen Godt, soo sluijt hij den Soon uijt; ick ontkende dat dat volghde. Hoornbeeck scheen wel dat het merckte, en vraeghde mij nae de meeningh Episcopii van de persoon Christi; ick seijse hem soo sij in de lessen Episcopii staet: daer vielen eenige woorden over, en 't was elf uren, jae 't duurde al wat nae elf uren; en soo scheijde ick daer uijt. Veel bijsonders geschiede daer niet, alsoo sij doorgaens haer oude seggen repeteerden, soo dat wel sesmael 't selfde geseijt wiert. Hiermede eijndigende, beveele ick U. E. in de genaedige bescherminge des Alderhooghsten, nevens de groetenis aen alle van mijn hospes en hospita, en mij

U. E. Onderdaenige Soon Philippus van Limborch.
In Uijtrecht desen 8en April 1654.

APPENDIX B.

(*Vid. p.* 22).

Ante omnia verborum sensum, quae tractanda eligimus, percipere oportet; quia exinde tota concionis structura dependet; ut autem ille percipiatur, primo verba textus proprio marte expendenda, et cum praecedentibus et sequentibus conferenda: deinde Annotationes Criticae, ac tandem integri commentarii celebriorum interpretum consulendi sunt. Hic temere per plures interpretes non est vagandum, turba enim mentem obruere solet: sed ex probatissimis pauci eligendi sunt, eorumque explicationes expendendae atque inter se conferendae, atque ita genuinus verborum sensus eruendus.

Si textus sit ambiguus, et diversae illius occurrant apud interpretes explicationes, non oportet operosa enumeratione Auditorum aures fatigare. Non convenit coram plebe indocta voces Hebraeas et Graecas, quas neutiquam intelligit et de quorum genuina significatione judicare nequit, allegare.

Doctrinae quae in applicatione tractantur ad duo capita reduci possunt, vel enim spectant dogmata fidei, seu locos communes, vel vitam ac mores: Apostolus in quatuor capita distribuit, 2 Tim: 3: 16, doctrinam, redarguitionem, correctionem et institutionem, et Rom: 15: 4, addit quintum, consolationem. Omnes illi usus in quavis concione non sunt quaerendi, licet forte per consequentiam quandam ex aliquibus textus circumstantiis erui possint; sed qui praecipui textui insunt, reliquis eorum textuum, qui ex professo de iis agunt, tractationi reservatis.

In doctrina magis spectandum est, ut adstruatur veritas, quam ut refutetur error; adstructa veritate error ipse refellitur. Si tamen errores quidam noxii animose spargantur etiam illi refutandi sunt, adhibita tamen semper aequanimitate et moderatione Christiana. Sententia, cujus refutationem adgredimur, candide et sincere est proponenda, neque cuipiam quippiam adscribendum, quod non libenter pro suo agniturus est. Quando sententia erronea premitur absurdis, ea errantibus non sunt imputanda, tamquam genuina ipsorum sententia; sed ab ipsis erroribus sollicite distinguenda. Non sunt refutandi errores aut haereses populo ignotae, ne nostra refutatione curiosis ac prurientibus ingeniis occasionem praebeamus in eas inquirendi, aut simplicioribus dubitationem injiciamus de iis quibus hactenus indubitata fide crediderint. Quando dogma aliquod ut credatur ad salutem necessarium urgemus, arcte inhaerendum est verbis et phrasibus S. Scripturae, neque quispiam alligandus vocibus ac phrasibus Spiritui S. ignotis et ab hominibus excogitatis.

In reprehensione adhibenda est summa moderatio, ut sanentur peccatorum animi, non exulcerentur. Si tamen peccatorum frequentia majorem acrimoniam requirit ea gravitate condiri debet et lenitate; ut appareat eam non provenire ex ira aut quadam malevolentia, sed ex animo charitate fraterna imbuto, et nos infensos esse non hominibus sed peccatis.

In applicatione promissorum quae in lege et prophetis exstant, judicio opus est. Promissa spiritualia pios ac resipiscentes nunc non minus quam olim spectant. Temporalium autem impletio maxime Remp. Israelis concernit; nihilominus sapienti dispensationi divinae promissa illa reservata sunt, ut ea etiam fidelibus suis concedat, quantum ad aeternae salutis promotionem conducunt.

Nimia prolixitas affectanda non est; praestat Auditores e templo decedere plura audiendi avidos, quam de nimia prolixitate querentes.

Quoniam ad indoctos pariter ac doctos concio habenda est, ita attemperanda est oratio nostra captui omnium, ut, si fieri possit, in eo omnes, tamquam in opiparo convivio, habeant quod sapiat palato suo.

Maxima dictionis vis quaerenda est in Phraseologia S. Scripturae, in cujus simplicitate maxima est majestas.

Ante omnia requiritur, ut ipsi affectibus, quos in Auditoribus excitare cupimus, vacui non simus, ne verba extremis tantum labiis haerere, non autem ex animo procedere credantur.

APPENDIX C.

(*Vid. p.* 36).

Illustrissime Vir,

Doloris tui expers non vivo. Equidem quotiescunque indignam tuam sortem ad animum revoco, non possum quin ingemiscam, et subinde illud repetam: nunc ubi sunt tanto praemia digna viro? Heroas illustres, quorum in patriam merita ne ipse quidem livor obscuraverit, eandem experiri novercam, novum non est, nec nostro demum saeculo visum. Exemplorum plena sunt omnia saecula; nec tua domus exemplo illustri caret. Ita fatale videtur, eos qui publicae invigilant saluti suam amittere. Multorum illa capitum bellua, benefactores suos odisse, adulatores vero suspicere solita, caeco impetu in optime meritos irruit. Eadem illa insana rabie concitata, in te, meritis in patriam illustrem, nullius criminis legitime insimulatum, nedum convictum, tamquam perduellionis reum insurgit, bacchantisque instar turbae te dilaniare ac membratim discerpere gestit. Subductum te prudenter isti furori maledictis, calumniis, libellis famosis, homines virulenti proscindunt, famamque, viro honesto vita ipsa potiorem, mendaciis putidissimis faede dilacerant. Interim vivit in cordati cujusque ac sinceri meritorum tuorum aestimatoris animo honesta tui memoria, tuamque calamitatem omnes communem patriae ducunt, innocentiamque tuam contra malevolorum calumnias subinde tueri non erubescunt. Contentus esto bonis et prudentibus potius fautoribus, quam multis. Turba saepe pessimi argumentum. Verum ita subinde mala tua patriaeque reputantem tristior me de obitu dilectissimae tuae conjugis nuntius perculit. Placet nimirum Sapientissimo Numini non uno malorum genere constantiam tuam explorare. Tu dulcissima vitae socia, unico in afflictione tua solatio, liberi tui matre prudentissima ac sedulissima orbi sunt. Hic te genuinum Magni

Grotii ostende filium: animum illum erectum et infractum in calamitatibus publicis ne dejiciat domesticus dolor. Forti animo insanam insurgentis in te plebis rabiem contemnere potuisti: paternam Dei visitationem animo dejecto ne tolera. Ita nimirum Deus omnibus quae animum nostrum terrae affigere possunt spoliatos nos cupit, ut omnibus destituti, et nudi velut, in ipsum solum recumbamus, despectisque mundi hujus vanitatibus caelestia unice adspiremus. Acquiesce voluntati divinae; quo te fata trahunt, non invitus sequare. Uxoris tuae, jam omnibus vitae hujus et exilii tristissimi molestiis defunctae, ac aeternitatis candidatae, felicior status dolorem tuum leniat. Vere, si luctui indulges, non illam, sed te doles. Superanda omnis fortuna ferendo est. Luctu nimio dolor noster non lenitur sed recrudescit; fortem animum ne stringit quidem, imbellem et languidum sauciat ac conturbat dolor. Deus qui te afflixit spiritu fortitudinis ac constantiae animum tuum muniat, calamitatemque tuam majoribus bonis compenset. Ita voveo

Illustr. Tuae amplit. addictissimus

Amstelodami 1672. Philippus a Limborch.

APPENDIX D.

1.

(*Vid.* *p.* 39).

Quod meipsum attinet, fateor me aliena (Calvinistica) dogmata fere cum materno lacte suxisse, iisque in primoribus adolescentiae annis penitus imbutum fuisse; nihilominus vicit vis veritatis, et omnia praejudiciorum repagula perrupit. Movebat imprimis quod viderem omnes antiquiores Philosophos, non modo Peripateticos, sed etiam Platonicos, quorum lectione interdum delectabar, constanter asserere τὸ ἐφ' ἡμῖν. Sed cum res ethicas attentius considerarem et evidenter perciperem boni et mali moralis naturas esse prorsus immutabiles, nec revera ab ipsius Dei arbitrio pendere (cum hoc discrimen honestorum et turpium potius ab immutabili natura Dei derivandum sit) non poteram Deo adscribere horrenda ista decreta, quibus ex mero beneplacito, homines insontes vel ad aeternos cruciatus, vel ad culpas et peccata aeternis cruciatibus luenda, inevitabiliter damnaret. Nec quicquam mihi certius constabat, quam horum decretorum assertores, ipsius pec-

cati naturam penitus evertere. Quapropter cum quindecim abhinc annis doctoratus gradum capesserem, magna veritatis fiducia fretus in publicis comitiis hanc thesin in me suscepi defendendam: dari boni et mali rationes aeternas et immutabiles. Quidam ex doctoribus tunc pro more oppositurus, qui Calvino erant addictissimi, mihi ipsi in privatis colloquiis fatebantur se non audere fidem huic dogmati derogare, quamvis male metuebant, ne eo tandem haec res procederet, ut Calvinianismi sui dilectissimi fundamenta everteret; quasi veritas posset veritatem labefactare. Et ex eo tempore quam plurimi in academia nostra, hujus unius (ut puto) veritatis evidentia moti, in Remonstrantium castra transiere. Quapropter, cum nuper integrum systema Ethicum meditarer, animus mihi erat in eo copiose de bono et malo, justo et injusto φύσει disputare; verum cum postea intelligerem amicum meum et collegam doctorem Morum eodem tempore editurum tractatum Ethicum, ne simul in eandem arenam, quasi de gloria certaturi, descendere videremur, ab incaepto destiti.

Tofts 17 Septbr 1705.

Je ne sai pas précisément quelles sont les opinions des Arminiens, mais je m'imagine qu'elles ne different pas beaucoup des sentimens de ceux qu'on a appellez Arminiens parmi nous, c'est à dire de presque tous les Ecclesiastiques de l'Eglise Anglicane. Je ne puis dire la même chose de l'Eglise, puisque ses Articles sont Calvinistes, quoi que nos Theologiens, qui pour la plûpart sont plus zelez contre le Calvinisme que contre aucune autre doctrine, trouvent, je ne sai comment, les moyens de satisfaire leur conscience, en declarant qu'ils donnent à ces Articles-là non seulement *consensum* mais aussi *assensum* [1]. C'est ce que tant d'excellens hommes ont fait qu'à peine osé-je censurer cette pratique. Mais à l'égard de mon Père, lorsque j'étois fort jeune je n'ai pas été peu troublée en mon esprit en considerant comment avec les sentimens où je le voyois, lesquels étoient si differens de ceux que ces Articles renferment, il avoit pû y souscrire. Et je ressentis une grande joye lorsque quelques années après je rencontrai chez l'Eveque de Worcester un vieux Ministre, qui s'enquerant de la santé de mon Père, qu'il n'avoit point vû depuis environ quarante ans, ajoûta: *Je l'aimerai toujours, quoi qu'il se soit opposé à mon admission d'être Socius dans le College d'Emanuel,*

[1] Conf. Schröckh, Kirchengesch. seit der Reform. VIIIter Th. S. 676.

parce que j'étois Arminien. Je crus d'abord qu'il me prenoit pour la Fille de quelque autre, jusqu'à ce qu'il eût ajoûté en riant, qu'il remercioit Dieu d'avoir vêcu assez long-temps pour avoir oui traiter Monsr. Cudworth comme un plus grand Heretique que lui-même. Lorsque je racontai cela à mon Père, il se mit à soûrire, et dit qu'il étoit vrai qu'il avoit été alors assez fou pour s'opposer à l'élection d'un homme de merite en faveur d'un qui n'en manquoit pas non plus, par la seule raison que ce premier étoit dans les sentimens où il étoit presentement lui-même, mais qu'il n'embrassa que quelques années après. Je pris alors la liberté de lui dire que j'avois été souvent surprise qu'il eut pû souscrire aux Articles de l'Eglise Anglicane; mais que je n'avois jamais osé le questioner sur cela parce que je croyois qu'il ne pouroit point me donner de réponse satisfaisante. Je me souviens qu'il me dit en faveur d'autres personnes qui signent ces Articles ce qu'on est accoûtumé de répondre ordinairement en pareil cas. Mais je ne laissai pas d'être très-contente qu'il eût quelque chose de plus à dire pour lui-même.

2.

(*Vid. p.* 40).

Vir clarissime et mihi dilectissime,

Non potui D. Brantium hinc dimittere quin te mihi imprimis carum per literas compellarem. Qui has ad te delaturus est te certiorem reddet de rerum nostrarum statu, ita ut neutiquam necessarium sit de illis fuse scribere. Controversia Sociniana nos jam summopere urget, et stilum illum modestum et vere Christianum, qui ornamento erat scriptoribus illius sectae, jam mutarunt nostrates in scurrilem et rabiosum. Hoc Deistarum negotium est qui, cum Socinianos urgent ad suam causam acriter defendendam, ipsi plane declarant doctrinam oppositam certo contineri in Scriptura S., quo pacto actum fore credunt de authoritate horum librorum, cum constet eam doctrinam in illis vere contineri, quae tamen est ridicula et absurda secundum Socinianos. Accedit quod Sociniani nostrates Evangelium cum Epistolis et Apocalypsi S. Johanni hucusque tributis illi abjudicant et Cerinthum illa conscripsisse contendunt. Alii sunt qui has controversias in moderamen quorundam Episcoporum pro opprobrio rejiciunt, et sperant se inde occasionem nacturos tollerantiam generalem, sub qua jam felices et pacati vivimus, evertendi. Cum haec scribo tuas ad me defert juvenis ingenuus D. Teute

qui valde genio pollet. Summas tibi reddo gratias pro honore quo me dignatus es tuum ad me mittendo opus novae editionis. Semper ego acceptor tantum numquamve reponam? Doleo quod sermo noster tibi non sit familiaris, ut tibi quae edo transmittere non sit inutile, licet quum mea tibi dedero aes pro auro reddo. Quod de Bullo quereris imputandum est fervori disputandi. Librum non adhuc perlegi. Sed animi Socinianorum elati quosdam ex nostratibus τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς longius quam aequum erat pellunt. Fateor quoque quod illa lenitas qua Remonstrantes Socinianos tractant, ipsos ad suam Synaxin recipiendo et controversias illas inter res minoris momenti numerando[1], male hic ut plurimum audit. Nam licet tollerantia civilis quod dogmata spectat nullis sit coercenda limitibus, habet tamen suos cancellos tollerantia Ecclesiastica, et si crediderim communionen cum idololatris fugiendam et idololatras repellendos, si quoque crediderim, quemadmodum apud nos acceptum est, quod cultus quem Sociniani Jesu Christo exhibent sit ex ipsorum hypothesi idololatricus, tum videntur a communione arcendi[2]. Accedit quod apud nos Sociniani cultum Christi plane rejiciant, invocationem solum ipsi tribuentes, et de hac tamquam de re ἀδιαφόρῳ loquuntur. De hisce et aliis rebus te coram certiorem reddet D. Brantius. Deus te diu sospitem conservet in Ecclesiae suae bonum. Tu animo meo alte inhaeres, et omnia tua avide complector et si ulla occasio detur qua tibi vel tuis verae amicitiae officia reddere potero, crede quod nihil mihi gratius accidere possit, nam sum

vir admodum reverende
totus tibi addictissimus et ad obsequia paratissimus
Gi Sarisburien.

Westmonasterii
18vo Novbris 1694.

---

[1] Respondet Limborchius: »quaestionem illam inter res minoris momenti non referimus; sed quoniam ardua est, et captu difficilis, nulli hic Scriptura non praeeunte anathema dicere audemus: neque curiosi in eorum, qui ad communionem nostram accedunt, conscientias inquirimus, an in dogmate adeo sublimi per omnia nobiscum consentiant," caet. Conf. quae de Limborchii cum Socinianis commercio retuli.

[2] Respondet Limborchius: »expendi sedulo argumenta quibus multi doctores se id probasse credunt; verum hactenus nullum legi, quod Socinianos criminis istius convincat; multo minus quemdam Scripturae locum, qui cultum talem, qualem Sociniani ex sua hypothesi D. Jesu tribuunt, idololatriae damnet." Addit se et omnino Socinianorum sententiam improbare et Anglorum praesertim petulantiam aversari.

Vir clarissime,

Quod mihi gratularis de educatione Principis mihi commissa amici animi testimonium est. Fateor provinciam hanc summi esse honoris, a cujus bona administratione multa pendeant. Summas quoque spes a genio et indole Principis concipiendas video. Sed eheu, quid ab aula sperandum, quae tot illecebris circumsepta et tot adulatoribus referta animum a natura ad voluptates et ambitionem pronum ab optima educatione cito deflectet. Curabo sedulo ut illi optima exemplaria semper ob oculos ponam. Xenophontis Cyropaediam pro textu illi exhibeo et jam bis cum illo librum illum relegi. Conabor quoque ut Alexandri falso Magni et Julii Caesaris nomina illi semper ut detestanda appareant. Haec sunt quae omnes fere Principes a prima infantia falsis imbuunt opinionibus. Veram pietatem ab omni superstitione et crudelitate alienam illi semper propono. Omnia hucusque ex voto procedunt; alia tamen post quosdam annos timenda sunt, a quibus summa cura ut potero cavebo. Hanc ad te defert D. Harkman in agro Brunswicensi natus, vir eruditus et modestus, qui per quosdam annos apud nos non sine fructu insigni egit et jam patriam petit, et avide occasionem suscepit te in itinere salutandi. Deus te diu sospitem conservet et omnibus benedictionibus cumulet. Ama semper ut soles

vir clarissime
Tui observantissimum et ad omnia officia paratissimum
Gi Ep Sarisburien.

[Initio anni 1699].

3.

(*Vid. p.* 43).

Vir Summe

Amor meus, qui in te est, et admiratio ingenii atque eruditionis tuae, quae omnium consensu maxima sunt, effecerunt, ut morem, nullius prorsus nominis hominibus solitum, sequestrarem, atque has ipsas literas ad Magnificentiam tuam exarasse auderem. Equidem solae illae, quas laudavi, dotes non videbantur meam tenuitatem eo abrepturae audaciae, ut ad te scriberem, nisi incomparabilis magnificentiae tuae humanitas tum ab aliis, tum maxime ab excellentissimo Dn. D. Gunfelio fuisset depraedicata. Cumque adeo magnificentiam tuam sem-

per ex omni bonarum artium ac virtutum ingenio collectam quandam perfectionem fuerim veneratus, jam ante haec tempora iter ad vos sum meditatus, quod ipsum tamen per Principis clementiam suscepisse haud licet, nisi post biennium, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσει. Ne tamen interea prorsus sine te vixisse habeam necessum, juvat informationem petiisse per literas. Scilicet conscripturus sum B. C. D. dissertationem de sectis seculo nostro obortis, eo modo quo Schlüsselburgius, ac alii, superiori seculo catalogos haereticorum divulgarunt. Fiet istud modestia summa, moderatione maxima. Neque enim istis Ecclesiae nostrae doctoribus assentior, quos Rigidistas appellitant, quique non nisi classicum canunt. Quippe in timore Dei cuncta perlustranda, bonumque retinendum est, sine criminibus falsi, sine dolo, sine conviciis. Sed an forte ita vobiscum actum est? Non video. Doctores Reformati, Gomarus praesertim ac Voëtius, multa vobis tribuunt, quae deprehensa abs me non sunt, in magnificentiae tuae Systemate, quod nuper Dn. D. Frankius aggressus est. Neque Episcopius eo abreptus unquam fuit dementiae, ut statueret, quae ipsi affinguntur, omnia. Sed haec ad praesens directe non spectant. Ego in dissertatione mea suppono: haud fecisse Remonstrantes schisma sed passos fuisse. Hoc ut probem, non sunt adeundi adversarii vestri Reformati. Hi quippe fidem meam hac in parte implorant. De Maresio res plana est, ut nihil dicam de aliis. Unde autem edocebor fidei vestrae incunabula? Dicat quis, libros esse notos. Respondeo novi, ast inimicorum. His autem quis fidat? Fido in iis, quae pertrita sunt, atque ab utraque parte admissa. Sed haec non inquiro. Eatenus altius inquiro in fidei vestrae historiam, quatenus est controversa et rarior. Scilicet reddituri sumus de quolibet verbo rationem, affingendum ergo nihil est, neque per omnia acquiescendum in Spanhem. Elench. Controvers. p. 127 sqq. Te ergo, vir summe, rogo atque obtestor, velis pro eo, quo ad gloriam Dei promovendam grassaris, fervore, proque toties decantata apud nos humanitate tua, auctores probatae per omnia fidei in hoc negotio mihi recensere, atque quae recte, quaeque secus vobis adscribantur nonnihil explanare. Dogmata nolo. Illa novi ex magnificentiae tuae scriptis, quae osculor, publicis. Imo ego vix ac ne vix quidem historice tacturus sum dogmata, potius fidei vestrae ortum ac incrementa, itemque doctores celebres explanaturus. Magnum est quod peto, fateor, sed et magna est tua, qua exteros prosequeris, humanitas. Equidem dicam quod res est. Si pervenerit ad manus vestras celeberrimi praeceptoris mei Hebenstreiti Theologia Naturalis nuper recusa, quam ipse vobis prae-

sertim (sine causa, nec lacessitus) opposuit, nomen meum aliquot disputationibus deprehendetis praefixum, quas respondendo tuebar. Sed illarum ego 1. non sum autor. 2. non continent contumelias. 3. disputant εἰς ἑκάτερον, uti omnes solemus, quo veritas, uti ex lapidum attritu ignis, eliciatur. Cogitandum ergo, vos quoque adversus nos disputare in Gymnasiis vestris, neque tamen inde venerationem, qua vos prosequimur, infringi ulla ex parte. Damna ergo meo me voto, vir magnifice, meamque tenuitatem responsione dignatus gratiarum actiones, propediem in publicam gratitudinis vocem erupturas, praestolare. Servet te interim Deus in viventium fasciculo. Vale, vir celeberrime, vale in Domino, cui te commendo per Dominum nostrum Jesum Christum!

ὡς τάχιστα. In Academia Jenensi
Scrib. d. 25 Maj. 1696.

Magnificentiae tuae observantissimus
Ernst Salomon Cyprianus
Ostheimia-Francus,
S. Theologiae Studiosus.

Vir doctissime,

Recte judicas, Remonstrantes schisma non fecisse, sed passos esse. Exstant publice scripta nostra, quae si quis consulere velit, quid nobis per calumniam affingatur facile deprehendet. Spero paucos intra annos Jacobi Arminii opera, interque ea multa hactenus inedita, proditura; quibus prolixior vitae Arminii historia praefigetur. Edidi ego historiam vitae Episcopii, quam amicus quidam in Latinam linguam vertit, quae ubi prodierit, etiam lucis aliquid historiae nostrae adferre poterit. Verum ex historiis Uitenbogardi et Brantii plena controversiae nostrae cognitio haberi potest, quas tibi autor sim ut consulas, si quid accurate de nobis scribere cupias. Ut vero nihil hic temere admittas, historias has cum iis quae Voetius, Hoornbekius, Maresius, Spanhemius, aliique de nobis scripserunt velim conferas, et tam nostra quam illorum scripta ad examen revoces, monumenta actaque publica, quibus utrinque historiae veritas adstruitur, consideres, et nihil, nisi accurato adhibito examine, definias. Ita mihi persuadeo: quanto exactius singula perpenderis, tanto confidentius es pronuntiaturus, schismatis reos neutiquam esse Remonstrantes; verum a parte nostra nihil intentatum esse relictum, ut Ecclesiae Reformatae unitas conservaretur: Contraremon-

strantes vero non conquievisse, donec per fas et nefas nos Ecclesiis nostris ejecerint, atque ita in separatos coetus convenire coegerint. Atque utinam et hodie mitiora ipsis placerent consilia! Sed patrum vestigiis insistunt, et omnem nobiscum fraternitatem respuunt: quod cum scripta ipsorum clament, non est quod id probare contendam. Vale, vir doctissime, et veritati sincere litare nunquam desine.

Eruditionis tuae cultor

Amstelodami 24 Aug. 1696. P. a Limborch.

Vir Summe,

Responsorias, quibus meam tenuitatem dignatus es, contemplans ambrosia frui me rebar atque nectare. Gratissimam mentem tum B. C. D. coram, tum et ex vestratibus illis, qui forte itineribus ducti nostramque visitantes Academiam meam conventuri sunt tenuitatem, solicitius explanabo. Caetera scripta Uitenbogardianum ac Brantianum vidi nunquam, quae tamen his ipsis Lipsiensibus nundinis mihi transmissum iri habeo compertum. Linguam Belgicam calleo leviter, quam tamen una cum Anglicana nunc exculturus sum exquisitius. Equidem ego, praeter ea quae hanc in rem nota sunt in vulgus, aliquibus epistolis Mss. poteram docere, nec omnibus Contraremonstrantibus in Synodo Dordracena congregatis adrisisse condemnationem Remonstrantium promiscuam. Stat interim sententia, Remonstrantes schismatis, quo ipsi a Contraremonstrantibus sejuncti sunt, tam non esse reos, quam non fuere rei Protestantes tempore B. Lutheri. Disputabam nuper Halae Saxonum de hac re cum celebri Reformato, qui nescio quas absurdissimas opiniones, pro more, vobis attribuebat, v. g. vos promiscue omnes simpliciter rejicere linguam Ebraeam, etc., tandemque meam illam hypothesin negabat pertinaciter. Negabat quoque Remonstrantes tum fuisse tum esse paratos ad servandam pacem, cum ipsi in tot sectas sint divisi, v. g. in Arminianos stricte dictos, Vorstianos et Episcopianos. Ego facile respondebam. Caeterum quam pacata hactenus fuit vestra Ecclesia, tam nostra majori distrahitur inquietudine, quam magnam partem acceptam ferimus τῶν αἱρετικοποιούντων zelo Pseudo-Theologico. Vereamur a Pietistis, quos vocant, et Chiliastis. Quam velim ego nos tandem omnes ad veram eamque coelo arridentem unitatem perduci. Forte Dominus aliquando piorum precibus motus finem impositurus est illi paradoxo, quo Christianis non adversus Paganos sed Christianos venit pugnandum. Quamquam si scriptorum Irenicorum

fata, nec non autores Papismi et Calvinismi irreconciliabilis, ac qui de non speranda Lutheranorum cum Pontificiis et Calvinianis unione scripserunt, attendamus, spes mea valde reddatur dubia. Tu, vir summe, vale in Domino, meque amore tuo ulterius dignare. Commendo te sanctissimae Trinitati. Vale!

Nobilissimae Dominationis tuae observ. cliens
Ernst Salomon Cyprianus.

Scrib. in Academia
Jenensi d. 5 Oct. 1696.

4.

(*Vid. p.* 52).

London $\frac{12}{22}$ Apr. 89.

Vir Amplissime,

Heri Regis et Reginae inauguratio sive ut dicunt coronatio summo cum splendore et maximo concursu plausuque populi celebrata est, eodem die utrumque in Scotia istius regni regem et reginam solenni modo promulgatum sive uti nos loqui amamus proclamatum credimus, nam Nostro Gulielmo et Mariae solium istud ante aliquot dies ab ordinibus istius regni designatum et decretum fuisse expeditis nuntiis constat. Burnetus jam Episcopus Salisburiensis in hesterna solennitate suas habuit partes. Concionatus est coram rege et regina et ita concionatus est ut omnes laudent; edi concionem non dubito, exemplar quamprimum occasionem nactus fuero ad vos mittam. Haec heri; hodie gratissimae tuae redditae sunt literae, unde renovatum gaudium; nec enim in privata re aliquid jucundius credo esse quam quos maxime velis amicos benevalere et de te bene sentire certiorem fieri. Gratulationes vestras amoris et benevolentiae plenas eo quo debeo animo accipio, tantoque hilarius praesentibus et domesticis utor amicis quod tam faventes habeo absentes et peregrinos multis nominibus mihi non minus charos. De tolerantia apud nos stabilienda non prorsus despero etiamsi lente admodum procedat et de praesulum ingenio recte judicas; spero tamen. Hodie Burnetum vidi; dixi te parare literas gratulatorias quamprimum certum tibi foret illum paedo Episcopali donatum; gratus nuntium hoc accepit. Scoti Hierarchiam Episcopalem tam acriter aversantur quam nos amplexamur, et in gravaminum catalogo primas ei dederunt. Temperatum aliquid ex adversantibus extremis optant omnes boni quibus

sana et moderata placent. An Burnetus tuus eodem uti tibi persuades animo futurus sit Salisburi quo fuit Amstelodami nonnulli dubitare incipiunt. Interim dicam tibi quid accidit; cum primum post consecrationem suam Episcopalem ad regem accessit Burnetus observavit rex quod galerus illius solito amplior erat, rogavitque quid sibi vellet ista fimbriae ampliatio; respondit Episcopus convenire istam formam ordini suo, cui Rex: Galerus spero non immutabit caput tuum. Venii Guenelonisque epistolas una cum tuis accepi quibus cum jam respondere urgentibus negotiis impeditus non possum rogo ut gratias quam maximas iis meo nomine reddas, et tuis id est efficacissimis verbis excuses hanc tarditatem scribendi, quam si qua ex parte compensare potest animi propensitas hoc spondere possem neminem uspiam esse qui ad omnia amicitiae officia paratior sit. Video vos omnes cupide percunctari quodnam munus publicum mihi demandatum sit; breviter respondeo nullum; valetudinis excusatione usus munus evitavi satis honorificum quod florentibus viribus et aetate sine dubio ambirem; ego jam solum et meae et patriae quieti studeo, nec fatiscenti et res suas componenti magnum aequor temere ingrediendum est. Utor jam, fateor, valetudine aliquanto meliore, respiratio liberior est, et tussis moderatior quam sub primo adventu, an hoc veris aëre calidiori, an consuetudine aëris maligna vis minus noxia sit plane nescio, hoc scio stultum esset humeros meos oneri publico submittere quibuscunque phaleris ornato. Quod mihi in oblato honore maxime placuit hoc fuit quod vos, saltem in transitu, iterum invisendi occasionem praebuisset. Etiamsi publica munera non attingo, publica tamen negotia et amicorum privata nescio quomodo ita me occupatum tenent ut a libris omnino avellar. Maxima hic jam librorum etiam bonorum habetur auctio quam ne quidem invisendi datur tempus. Brevi spero mihi restituetur antiquum et optatum otium, ut ad rempublicam literariam reversus aliquid habeam quod ea ex parte ad Dm. le Clerc scribere possim. Interim oro eum officiosissime meo nomine salutes, et roges ne meum silentium oblivioni aut negligentiae imputet sed praesentibus curis a re literaria longissime remotis. Vale et me ut facis ama tui amantissimum J. Locke.

In posterum si placet ita inscribantur literae: For Mr. John Locke at Mrs Smithsbys in Dorset Coort in Chanell row Westminster. Dilectissimam tuam uxorem omnemque optimi Venii familiam, collegas caeterosque amicos saluto.

APPENDIX E.

1.

(*Vid. p.* 74).

Infrascriptus fidem facio me die 4° Februarii (Martii) 1695 vidisse in aedibus Dni Benjamin Furly Roterodami librum antiquum Manuscriptum in parquemeno inter duos asseres compactum, et continentem sententias et acta Inquisitionis Tholosanae ab anno 1307° usque ad annum 1323um cum hac inscriptione, LIBER SENTENTIARUM. Et post exactam perquisitionem non aliter potui judicare, uti et modo judico, quam librum istum esse quod prae se fert, sine ulla corruptione aut additione, et plane integrum; demptis paucis foliis, in quibus superior margo et titulus currens corrasus est, sine ulla offensione textus. Incipit autem a juramento Curialium regis, et a sententia contra Pontium Amelii relapsum. Ita testor die et loco supra dictis,

C. Bontius. S. Theol. Licent.

Hic Bontius est Sacerdos Ecclesiae Romanae, tunc habitabat Vlardingae: testimonii hujus autographum est penes D. Benjaminum Furly.

2.

(*Vid. p.* 76).

REFORMATORUM DE POENA HAERETICORUM SENTENTIA, EX VARIIS AUTORIBUS ET ECCLESIARUM RESPONSIS COLLECTA ET EXEMPLIS ALIQUOT DEMONSTRATA PER PHILIPPUM A LIMBORCH.

SERIES CAPITUM.

CAPUT I.

Introductio Generalis.

Regnum Christi non vi, sed rationibus propagari debet. Sic in primitiva Ecclesia fuit propagatum. Sensim ad vim et persecutiones est deventum, maxime in Ecclesia Romana. Quidam illius communionem non deserentes, nihilominus tyrannidem illam improbarunt, ut Erasmus, et Cassander.

CAPUT II.

De poena haereticorum sententia Erasmi.

Haereticos non esse interficiendos Erasmus docet, ac defendit contra Beddam, Facultatem Parisiensem, et Monachos Hispanos. Quomodo, et quibus ex causis sententiam suam aliquatenus mutasse videtur.

CAPUT III.

Sententia Georgii Cassandri.

Testimonia ex Cassandro, quibus saevitiam contra Mennonitas improbat. Librum scribit contra haereticidium, qui tamen non exstat.

CAPUT IV.

De Reformatorum sententia in genere.

Reformati a Pontificiis oppressi, omnem persecutionem religionis causa damnarunt, non tantum Lutherani, sed et Calvinistae. Mox ubi rerum potiebantur alios persecuti sunt.

CAPUT V.

Ecclesiae Tigurinae processus contra Anabaptistas.

Decretum Tigurinum contra Anabaptistas. Faelix Mantzius aquis suffocatus. Ipsi Tigurini de quibusdam capitale supplicium esse sumtum fatentur. Alia exempla persecutionis contra Anabaptistas. Intercessio Ordinum Generalium Foederati Belgii pro Anabaptistis apud Senatum Bernensem.

CAPUT VI.

Genevensium processus contra Seb. Castellionem, Hieron. Bolsecum, et Anabaptistam quendam.

Castellio Geneva excedere jubetur. Invectivae in eum Calvini, et Bezae etiam in Franciscum Balduinum. Bolsecus in carcerem conjectus urbe expellitur. Anabaptista in exsilium ejectus, et postea in urbe deprehensus virgis caesus.

CAPUT VII.

De Michaëlis Serveti supplicio.

Narratio illius supplicii per Bezam. Relatio Calvini qualis Servetus fuerit in extremis; eadem et Bezae. Uberior supplicii hujus narratio, prout exstat post dialogum inter Vaticanum et Calvinum. Calvinus causa mortis Serveti. Historia carceris Serveti, et sententia in eum lata ex archivis Genevensibus. Calvini liber contra Servetum, quo haereticidium propugnat. Judicatur illo libro Pontificiis gladium contra se suosque in manus tradere a Paulo Servita, Georgio Cassandro, et Francisco Balduino. Dialogus inter Vaticanum et Calvinum: illius autor non est Sebastianus Castellio, sed alterius libri sub nomine Martini

Bellii. Illum refutat Beza. Minus Celsus de haereticis non persequendis falso creditur esse Laelius Socinus. Beza in suo libro declarat: quis sit haereticus, qua poena afficiendus; quodnam Magistratus et Ministrorum Ecclesiae circa haereticum officium. Idem de hoc, quod de libro Calvini, est judicium Pontificiorum, Claudii Sainctes, Bellarmini, Petavii, Rainaldi, Scioppii, Francisci de Verone, Beijerlingi, Maimburgii, et anonymi. Bezae in suo libro acres in Servetum invectivae. Petrus Farellus etiam infestus Serveto.

CAPUT VIII.

De Serveti supplicio variorum judicia.

Serveti supplicium approbant Ecclesiae Tigurinae, Beza verbis admodum asperis, Henr. Bullingerus, Petr. Martyr, Zepperus, Chamierus, Laborierius, Professores Leidenses, Andr. Rivetus, Frid. Spanhemius, pater et filius, Voetius, Strukkius, Triglandius, Alex. Morus, Fr. Turretinus, Flokkenius. Improbant eam Nic. Zerchnites, Abrahamus a Corput.

CAPUT IX.

De Valentino Gentili.

Titianus comburendus nisi palinodiam cecinisset virgis caesus Rhaetia ejectus est. Valentinus Gentilis Genevae publica infamia notatus inde aufugit. Postea Bernae capitis supplicium luit. Prolixior supplicii illius ex Aretio narratio.

CAPUT X.

De Gribaldo, Blandrata et Ochino.

De Gribaldo narratio et testimonium Calvini, Bezae, et Fausti Socini. De Blandrata narratio Calvini, Martyris, et Socini. De Bernardino Ochino testimonia Sleidani, Simleri, Thuani, Caelii Secundi Curionis, Bzovii, Slichtingii, Fulviae Moratae. Tiguro ejicitur; de hac ejectione judicia Bezae, et Andr. Duditbii. Quid Ochinus de haereticorum poena scripserit.

CAPUT XI.

De Nicolao Antonio.

Supplicium Nicolai Antonii narratur ex epistola Prevostii, et ex archivis Genevensibus. Testimonium a Genevensibus Alexandro Moro datum.

CAPUT XII.

Testimonia ex Bezae epistolis contra haereticos.

Beza variis in epistolis haereticorum persecutionem urget, etiam apud Pontificios. Indigne fert sibi crudelitatem objici. Ergo se suamque persecutionem iniquam credit.

CAPUT XIII.

Sententia aliquot Doctorum Helveticorum de haereticorum poena.

Sententia Bullingeri, Marlorati, Gualtheri, Aretii, Wolfgangi Musculi, Bucani, Amandi Polani, Wolfgangi Meyeri, Buceri. Et in Gallia anonymi cujusdam, et Mosis Amyraldi.

CAPUT XIV.

Supplicium Sylvani, et Germanorum de haereticorum poena sententia.

Joannes Sylvanus gladio percussus Heidelbergae, narrante Paraeo. De Adamo Neusero, et quae de eo scribat Sam. Ern. Cyprianus. Sylvani supplicium approbat Beza. Sententia de haereticorum poena Dav. Paraei, Hieron. Zanchii, Fr. Junii, Wilh. Zepperi, J. Alstedii, J. Piscatoris, Joan. Crocii, Wendelini, Hendr. Altingii. In Marchionatu vero Brandenburgico unicuique liberum, teste Puffendorfio, permittitur religionis exercitium.

CAPUT XV.

Lutheranorum sententia, et praxis.

Melanchthon probat Serveti supplicium. Illius judicio gloriantur Calvinus, et Beza; hujus contraria de Melanchthone judicia. Alibi etiam Melanchthon haereticos esse puniendos docet. Hemmingius et Meisnerus approbant supplicium Serveti. Lutheranorum rigor contra Reformatos ex Anglia profugos. Liber Concordiae. Peucerus in carcerem conjectus. Cancellarius Nic. Crellius capite truncatus. Processus contra Joan. Vogelium, et Hieron. [Joachimum] Peuschelium. De poena haereticorum sententia Abr. Calovii, et Christ. Frankii, Moderatior sententia Thomasii Jurisconsulti. Edictum regis Sueciae contra haereticos.

CAPUT XVI.

Supplicia aliquot haereticorum in Anglia.

Leges Pontificiorum contra haereticos non abrogatae. Juxta illarum rigorem ob haeresin vivi combusti sunt sub Eduardo VI Joanna Bochera et Georgius van Pare; sub Elisabetha Joannes Petri, et Hendricus Terwoord, Anabaptistae; praeter hos Matthaeus Hammontus, et Joannes Lewes; sub Jacobo I Bartholomaeus Legatus, et Eduardus Wichtmannus. Regis illius judicium de Conrado Vorstio. Processus contra Joannem Bidellum.

CAPUT XVII.

Quorundam Anglorum de poena haereticorum sententia.

De haereticorum poena sententia Thomae Cartwrichti, Samuelis Rhetorfortis, Guilielmi Prynn admodum atrox. Moderatior sententia Lu-

dovici Molinaei, Johannis Tillotsoni Archiepiscopi Cantuariensis, Gilberti Burneti Episcopi Salisburiensis, Joan. Spenceri, et Joan. Lockii. Persecutiones contra errantes auctoritate publica in Anglia sublatae. Lex de comburendo haeretico sub Carolo II abrogata, narrante Ger. Croesio. Moderatio regis Wilhelmi III.

CAPUT XVIII.

Belgarum ante Synodum Dordracenam judicia et praxis.

Reformati disciplinam Genevensem in Ecclesias Belgii introducere student. Eos molitos esse persecutionem contra Mennonitas, ostenditur testimoniis Philippi Marnixii, et Joan. Hoornbekii. Sententia autoris anonymi de poena haereticorum. Mennonita Amstelodami in carcerem conjectus, et civitate exire jussus. Decretum contra Mennonitas in Frisia. Geldorpius et Bogermannus lingua Belgica edunt librum Bezae de haereticis a Magistratu puniendis, praefixa dedicatione ad Ordines Frisiae. Judicium ministri Trajectini, et Joannis Cuchlini.

CAPUT XIX.

Belgarum praxis et judicia circa et post Synodum Dordracenam.

Sententia autoris anonymi in Zelandia, et duorum in Hollandia. Petri Holderi sententia atrox. Remonstrantes in Synodo Dordracena urgent doctrinae de haereticidio abolitionem; sed frustra. Persecutio saeva adversus Remonstrantes, etiam judicio Henrici Norris Cardinalis. Ostenditur ea libertatem conscientiarum fuisse oppressam. Contraremonstrantes approbare haereticidium evincitur testimoniis ex Wilhelmo Telingio, Professoribus Leidensibus, Nicolao Vedelio, Gisberto Voetio, Jacobo Triglandio, Joanne Peltio, Nic. Bodechero, Guil. Amesio, Joan. Maccovio, Andrea Riveto, Alexandro Petreio. Mitius videtur sentire Franciscus Burmannus, et praesertim Jacobus Altingius. Samuel Maresius sibi non constat.

CAPUT XX.

Refutatio objectionis, quod Remonstrantes idem fecerint.

Remonstrantes semper impugnarunt poenas civiles contra errantes. Ordines Hollandiae sanciverunt mutuam tolerantiam. Non vetuerunt doceri sententiam Contraremonstrantium sed schisma fieri noluerunt. Edictum Sebielandicum, et Trajectinum. De Cornelio Hillenio, Cornelio Geselio, et Cornelio Dungano. Voetius verba Remonstrantium de libertate conscientiarum, quousque ea extendenda sit, in alienum sensum contra ipsorum mentem detorquet.

CAPUT XXI.

Sententia in quendam sabbathum observantem.

Homo in Ecclesia Walonica Amstelodami una cum die dominico etiam sabbathum observavit. Condemnatus est ad perpetuum carcerem; postea dimissus ea conditione ut urbe exiret. Sequente anno fuit revocatus.

CAPUT XXII.

Conatus renovandi persecutionem sub criminatione Socinianismi.

Libellus supplex a Synodorum Hollandiae Deputatis Ordd. Hollandiae oblatus contra Socinianos. A Professoribus Leidensibus Remonstrantes Socinianismi sunt accusati. Conatus ministrorum Trajectensium inquirendi Remonstrantes et Mennonitas. Voetius idem molitus est habita disputatione de notitia latentis et serpentis haereseos antitrinitariae. Duodecim articuli Mennonitis oblati. Illis subscribere recusantes jussu magistratus a functione muneris sui amoti sunt. Processus instituti adversus Remonstrantes coetus religiosos celebrantes Lugduni Batavorum; in Zelandia contra Joannem Becium. Libellus supplex ministrorum in Frisia. Edictum Ordinum Frisiae contra Socinianos, Quakeros et Immersores. Quidam in Frisia Curiae Provinciali traditus, tamquam blasphemus puniendus. Curia eum consideravit ut errantem, et ut talem dimisit. Processus contra ministrum Mennonitam in Transisalania; et contra coetus Collegiantum Groningae.

CAPUT XXIII.

Ostenditur Reformatorum esse doctrinam, haereticos gladio, quin et mortis supplicio esse coercendos.

Plures haeretici approbantibus Ecclesiis Reformatis sunt mortis supplicio puniti. Multi doctores doctrinam hanc publice defendunt. A paucis solummodo, et non nisi intra privatos parietes, improbatur. Distinctio inter haereticum simplicem et qualificatum. Bezae definitio haeretici, unde liquet omnes esse qualificatos. Qualitates haereticis attributae: 1. Quod impietatis suae ludum aperiunt. 2. Factiones excitant in Ecclesia. 3. Rempublicam turbant. 4. Pertinaces sunt et proprio judicio condemnati. Hoc Reformatus de nullo affirmare potest. 5. Blasphemi; perperam id de haereticis dici ostenditur exemplis ex doctrina de SS. Trinitate, et praedestinatione. 6. Apostatae. Atrox Schokii de Remonstrantibus judicium. 7. Seductores. Jus Magistratus circa sacra in templis publicis, et extra illa. Judicium Ecclesiae an obliget Magistratum. Non potest Magistratus edictis sibi jus comparare haereticos persequendi. Libertas conscientiae non permittit habere conscientiam, quae alios persequendos esse dictat.

CAPUT XXIV.

Consensus doctrinae Pontificiorum et Reformatorum de suppliciis haereticorum.

Beza magnum inter utrosque urget esse discrimen; sed revera minus est. Pontificii quosvis haereticos occidendos docent, Reformati qualificatos; at omnes, si velint, possunt ipsis esse qualificati. Pontificiis haereticus est, quicunque quid Ecclesiae doctrinae adversum credit. Idem revera docent Reformati, licet id verbis disertis non affirment. Utrique decretis suarum Synodorum contradicentes haereticos pronuntiant, et gravissimo quod excogitari potest supplicio afficiendos docent; iisdem argumentis sententiam suam adstruere solent. Praxis etiam in plurimis similis est. Apud utrosque judicium de haeresi non permittitur Magistratui, sed solis Ecclesiasticis; inter Reformatos vero Magistratus de ipso haeretico cognoscit. Pontificii inquirunt in arcana hominum. Idem aliquoties est factum a Reformatis. Similis est apud utrosque structura ac formula sententiarum, et similes poenitentiae salutares. Idem ignis supplicium. Idem processus qui in Inquisitione contra cadavera haereticorum, etiam contra Davidis Georgii cadaver Basileae habitus est

Operis hujus conclusio.

CORRIGENDA.

Pag.	25,	*lin.*	13,	*pro*	dedicatum	*leg.*	dedicatus
"	"	"	16,	"	missum	"	missus
"	39,	"	24,	"	Fuit	"	Fuerunt
"	56,	"	27,	"	quo	"	qua
"	102,	"	ult.,	"	Objectiv	"	objectiv

THESES.

I.

Jes. XLII, 19, pro כִּמְשֻׁלָּם, quod nullum aptum hic habet sensum, restituatur כִּמְשֻׁלָּח; tum posterius hujus coli membrum: מִי עִוֵּר כִּמְשֻׁלָּח caet. e textu ejiciatur; prius tamquam membrum parallelum adjungatur colo 20.

II.

Recte Limborchius (Theol. Christ. Lib. VII, c. 2, § 8) ad Gal. II, 11 sqq.: »non fuit, inquit, iste error [Petri] in doctrina, sed lapsus in moribus."

III.

Recte Clericus (Sentimens de quelques Théologiens de Hollande etc. p. 126): »On dira peut-être, que Jesus Christ et les Apôtres citent souvent le Pentateuque sous le nom de Moïse, et que leur autorité doit être d'un plus grand poids, que toutes nos conjectures. Mais Jesus Christ et ses Apôtres, n'étant pas venus au monde, pour enseigner la Critique aux Juifs, il ne faut pas s'étonner, s'ils parlent selon l'opinion commune." Quae verba immerito reprehendit vir doct. C. H. A. Kalkar, in: Verhand.

van het Haagsch Genoots. sedert deszelfs 50jarig bestaan, D. II, bladz. 263.

IV.

Christus de praeexistentia sua, quae dicitur, in Evangelio Joanneo, ex gr. VI, 62; VIII, 58; XVI, 28; XVII, 5 (cum quo postremo loco conf. Matth. XXV, 34; 1 Cor. II, 7), tam aperte pronuntiat, ut nobis, Ipsi fidem habentibus, nullum dubium hac de re relictum videatur.

V.

Ita *pro* nobis mortuus est Christus, ut nos *cum* Ipso mortui simus; conf. 2 Cor. V, 15. Hinc potissimum divina Christi mortis vis et praestantia intelligenda est.

VI.

Quaestio de praedestinatione, quae dicitur, utrum absoluta sit an conditionata, neque ad Evangelium pertinet, neque in S. Scriptura solvitur, neque in Theologiam Christianam admittenda est. Erravit igitur tam Arminius, qui hoc, quam Gomarus, qui illud tamquam Theologiae Christianae placitum proposuit.

VII.

»Reatus mortis et condemnationis usque adeo aggravatus est, ut universus mundus sub peccatum conclusus, et condemnationi factus fuerit obnoxius. Ex quo tandem summa gratiae divinae, in Christo Servatore nobis ante saecula praeparatae, necessitas simul et utilitas evidenter apparuit: quippe sine qua nec miserabile peccati jugum excutere, nec quicquam in tota Religione vere bonum operari, nec denique mortem aeternam, aut ullam veram peccati poenam, effugere unquam possumus: nedum ut salutem aeternam sine illa per nos ipsos, aut per alias creaturas, consequi aliquando possimus" (Confessio Remonstrantium, cap. VII, extr.). »Nec nos dicimus, hominem ex seipso peccati dominium posse excutere, sed

requiri gratiam divinam, quae ipsum praeveniat, et vires ad peccatum debellandum largiatur" (Limborch, Theol. Christ. Lib. IV, c. 14, § 8).

VIII.

Recte Limborchius (Theol. Christ. Lib. V, c. 69, § 4): »Baptismus, inquit, in nomen Jesu Christi, seu Patris, Filii et Spiritus Sancti administratus, hominem Jesu Christo consecrat, illiusque disciplinae devovet; nullius autem hominis placitis adstringit. Turpisque est et inexcusabilis Baptismi abusus, eum in tesseram privatae cujuspiam doctrinae convertere."

IX.

Homo summam cui destinatus est perfectionem nisi Christo se dederit attingere nequit. Ergo revera nascitur ad id ut sit Christianus. Christo se dare illis qui divino beneficio Evangelii luce collustrantur, quique hoc nomine ἐκλεκτοὶ et κλητοὶ dicuntur Paulo (Rom. VIII et IX, alibi), non arbitrii est sed officii. Cumque homo singulas vitae tamquam periodos, infantiam, pueritiam, juventutem, caeteras, eo felicius et melius transigat quo arctius sit cum Christo conjunctus, ubicunque terrarum Christianorum coetus sunt in illos recipi oportet infantes; imo, ipsa sua ex parentibus Christianis nativitate recepti esse censendi sunt; cujus receptionis symbolum quoque, Baptismus, iis est administrandum. Adulti, qui Apostolorum aevo baptizati sunt, vitam, quae quidem esset vere vitalis et homine digna, tum demum incipere censebantur; proprie enim non nisi infantes in regnum coelorum admittendi erant. Viderint ergo qui hodieque Teleiobaptismum tamquam unice Apostolicum tuentur, ne Christi Apostolorumque menti prorsus contrarium agant. Nos Paedobaptismum non tantum probamus, sed et proselytarum Teleiobaptismum illius imitationem esse statuimus.

Non tamen haec nostra persuasio obstat quominus Remonstrantium probemus consilium, qui Ecclesiae pacem Christianorumque libertatem quam uniformem ritus celebrationem pluris aestimant, quosque hoc nomine caeteris Christianis ad imitationem merito proponit J. G. Müller (vom Glauben der Christen, 2te Aufl., IIter Th., S. 286 in nota).

X.

Repudianda est sententia viri celeb. De Wette (Lehrb. der christl. Sittenl., u. s. w., Berlin, 1833, S. 242): »Da die öffentliche Rechtspflege dem Ehrgefühle gewisser Stände nach der herrschenden Sitte nicht genugthut, so wird selbst der christlich Gesinnte, aus Liebe zur Gemeinschaft, den Zweikampf nicht immer vermeiden können."

XI.

Perperam Montesquivius (Considérations sur la grandeur des Romains etc., XII, Paris 1837 p. 107) de αὐτοχειρίας facinore: »Il est certain que les hommes sont devenus moins libres, moins courageux, moins portés aux grandes entreprises qu'ils n'étaient, lorsque par cette puissance qu'on prenait sur soi-même, on pouvait à tous les instans échapper à toute autre puissance."

XII.

Cum orationes sacrae coram Christianorum coetu vel legi possint, vel memoriter recitari, vel ex tempore haberi, primum illud propter memoriae imbecillitatem multis condonandum est, tertium propter temporis angustias paucis concedendum, medium, tamquam optimum, omnibus suadendum.